

Sigismundus I. Pol. Rex.

Orichovii Stanislai: Oratio habita in  
funere Sigismundi Jagellonis, Po-  
loniae Regis.

Veneris. 1548.

Biblioteka Jagiellońska.



IV. d. 104.

PANEG. et VITAE

Polon. 4<sup>o</sup>

N<sup>o</sup>. 846.



5364

CIMELIA

P. VI. 11. 6.

W. d. 104.

STANISLAI ORICHOVII  
RHVTENI

ORNATA ET COPIOSA ORATIO  
HABITA IN FVNERE  
SIGISMVNDI IAGELLONIS  
POLONIAE REGIS.



V E N E T I I S  
M D X L V I I I

# L E C T O R I A T U S

**L** Egimus nuper ad nos ex intima usq; Sarmatia  
 missam orationem, in Sigismundi Poloniae re-  
 gis funere illic habitam: quae nobis uisa est, lon-  
 ge plura ac maiora habere in recessu quã prima fron-  
te promittat. Ita tum felici rerum ac sententiarum co-  
 pia, tum uero amabili quadam dicendi suauitate, et pru-  
 dentissima totius causae dispositione adducti, dignam  
 eruditissimi cuiusq; lectione iudicauimus: et in gratiam  
 doctorum hominum publicandam libenter curauimus.  
 Illud ab amico lectore dari nobis uolumus, uti iudicium  
suspendat, quoad totam planè perspexerit; neue quod  
fideli studio detulimus, priusquã intellectum sit, neglectũ  
relinquat. Eam si perlegeris gratias (certe scio) habe-  
 bis, ingeniumq; & doctrinã R. huteni hominis admira-  
 beris. Hinc enim & Polonicarũ seu mauiſ Sarmatica-  
 rum rerum historiam scitu dignissimam, non sine uolu-  
 ptate intelliges: & qualem esse regem, qualiterq; ab eo  
 regiam rempub. administrari oporteat, summa pruden-  
 tia uidebis expressum. Sed tu orationem ipsam legens,  
 de re tota melius iudicabis.

Vale.

BIBLIOTH. UNIV.



JAGELLONICAE



Cim. Qu. 5364

STANISLAI ORICHOVII  
RHVTENI

ORATIO HABITA INFVNERE  
SIGISMVN DI IAGELLONIS  
POLONIAE REGIS



**R**EX NOSTER MORTVVS EST,  
si tamen ille mori potuit, quem sua præ-  
stans, atq; regia uirtus immortalē an-  
te obitum reddiderat: quam ille cum con-  
stanter in omni uita coleret, quid tandē  
est, cur hunc mortuum dicamus esse po-  
tius, quam hoc mortali corpore exutum,  
ad illam immortalē uitam abiisse, ad quam sibi iter so-  
brie, iuste, ac pie uiuendo parauerat: Abijt ergo hinc: uos  
flenteis, ac dolenteis reliquit in hoc squalore, ac sordibus:  
quibus oblitū, in funere ipsius comparemus. Nobis cum  
illo periēre omnia Equites: illi uero nihil, præter hoc mor-  
tale corpus, decessit. pro quo tamen ipso, cumulatū nunc  
ipsius acta uita æternitate, atq; immortalitate sempiterna.  
nostra autē hæc mors, uerius quā uita, illius a nobis disces-  
su quam afflictā, exinanitāq; sit, testes sunt mœror hic ue-  
ster, ac uestræ piæ lachrimæ, quibus deslemus, non interi-  
tum Regis nostri, qui nullus illi est, sed orbitatem nostrā.  
Amisimus enim Equites non dominum, nihil. n. ille minus  
nobis fuit, sed iustissimum regem, atq; indulgentissimum  
patrem. qui cum unum, & quadragesimum annum regna-  
ret apud nos, quod exēplum regnans non dedit iusti, ac  
moderati imperij: aut quod monumentum post se non reli-  
quit in hoc regno, humanitatis, mansuetudinis, atq; bene-  
ficentię erga uos singularis: Quocunq; te animo, atq; ocu-  
lis conuerteris, plena omnia exemplorum illius sapientiæ,  
iustitiæ, fortitudinis, tēperantiæ ac uirtutum omnium reli-  
quarum reperies. Siue Ecclesiam Dei uideas, quā ille in-  
tegram, atq; incorruptam in Polonia præstitit: siue ipsam  
rempub. quam ille, tanq; bonus pater unicam filiam in-

*Cum quidem scriptum  
prima ista uerba  
Rex uoster mortuus est  
Vide, inquit, iam omnia  
dixit, cum uer uiderit  
lethorum conuulserat  
Si tamen ille non pater  
et quæm sua pulchra. et  
Vide quomodo beata ista  
Polona script.*

linu suo cōplexus: tam domi, q̄ foris, tam pace, q̄ bello fo-  
uit, auxit, ac omnibus ornamentis cumulauit. In qua qui-  
dem Repub. talem se ille regem gessit, ut & omnes ante  
se reges facile uinceret, & ceteris post se spem imitandi ad-  
meret. Cedant huic omnes reges, soli etiam scientiam re-  
gnandi concedant, non Cyrus ille, non Agelilaus partem  
laudis æqualem, ac gloriæ cum hoc petant. qui non tam re-  
bus ipsis, quam scribentium ingenijs magni fuerunt. de ijs  
enim non ad ueritatem historia, ut uidetur, sed ad imitatio-  
nis exemplum Græci homines multa fecte scripserunt. At  
hic noster Sigismundus regum rex, non solum bene ui-  
uendo, ac sapienter regnando Cyrum, atque Agelilaum su-  
perauit, aut si quid in regū genere maius hisce fuit, sed etiam  
illorum ipsorum scripta, qui de illis regibus eloquentissime,  
copiosissimeq; scripserunt. melius hic uixit, quam illi dix-  
erunt: melius regnauit, quam præceperunt. Ita Sigismundus  
rex noster non fictum, neq; stylo adumbratum, sed uiuum  
exemplum, atque rebus ipsis expressum cæteris regibus a  
Deo fuit propositum, ut in hoc rege, ceu in quodam illu-  
stri monumento, essent repositæ omnes regiæ uirtutes:  
unde sumi posset quo humanum genus seruari, quo regna  
administrari, quo iura, mores, instituta, leges in ho-  
minum uita sancte, ac quiete possint retineri. Quid? solis  
ne regibus ille exemplū uiuendi fuit? minime uero Equi-  
tes. nemo enim etiam sortis infimæ reperietur, qui ad bene,  
beateq; uiuendum ex hoc rege exemplum non possit sibi  
sumere. siue enim religionem ipsam spectes, quæ anacho-  
ritam sanctimonia uitæ non uicit? siue etiam has uirtutes  
uitæ communis consideres, nempe patiētiā, obsequium,  
modestiam, ac temperantiā, quis non dico in summo im-  
perio rex, sed homo ipse priuatus, quem angusta res coer-  
cet, hac ista commendatione Sigismundo par fuit? pauci  
Equites, & haud scio an aliquis omnino fuerit: ita ille sum-  
mam uitæ absoluit, ut sapientiā reges, priuatos uero, mo-  
deratione uitæ antecelleret: talemq; se in omni uita priua-  
tum, ac publice præberet, ut id nulla orationis copia, ut par-

est, explicari possit, ne illius quidem Xenophontis Græci, cuius ore musas tum loquutas ferūt, cum Cyrum illum suū, atq; Agelilaum uerbis magnos faceret. At ne me quis ad Græcorum morem temporis, ac luctus uestri causa magna hæc facere existimet, ostendam Equites talem regem nos amisisse, qualis in Polonia ante Sigismundum nemo, extra Poloniam uero pauci, omnino apud omnes gentes fuerunt, siue bona ipsius propria spectes, siue quæ illi natura, aut fortuna largita fuit, consideres, ut merito mors huius optimi regis dolorē huic Senatui, mœrorē Equestri ordini, squa- lorem Poloniae, luctum, ac gemitum omnibus attulerit. Et ut hæc ex iusto dolore profecta esse, ac amore intimo omnes intelligant, breuiter mihi dicendum est quod genus uiri fuerit: qui in regnando mores, quæ fides erga illum, & uoluntas uestra, utilis erit, & grata hæc oratio nō solum nobis in malis nostris, sed etiam his, qui cū laude uiuere, aut gloriose regnare concupiuerunt. Sic. n. de Sigismundo rege loquar, ut nihil nisi singulare, nisi regium, nisi diuinū de hoc rege a me sitis audituri: idq; quod dicam, non facultate orationis meæ, a qua longissime absum, illustrabo, sed rebus ipsius gestis, atq; exēplis cum sua sponte clarissimis, tum uero uobis notissimis, non abutar enim conscientia uestra Equites, falsam enim gratiam ab illo mortuo quid inire studeat, quæ tota morte ipsius sublata est. sola illius uirtus manet immortalis, de qua sine inuidia audiendum est, ut illius clarissimi uiri recordatione, ac desiderio uota faciamus, quo Deus noster similes Sigismundo regnare in Polonia uelit, si non omnes. (nam id sperare fere iam fas non est,) at saltem aliquos hoc nos certe animo esse in hoc exequiarū munere conuenit, ut Deus non huic tantum mortuo, sed etiam ipsi Poloniae regno, nobisq; sit propitius, nostraq; res afflictas, atq; in desperationem propemodum adductas benignus aspiciat. Me etiam ut attente audiatis, et si rogandi non estis, mœror enim hic uester uos satis attentos facit, tamen ut consuetudinem seruem, rogo.



**S**IGISMUNDVS REX, avum habuit Vula  
dislaum lagellonē, qui ex Lithuana gente in Po  
lonia regnavit primus, uirum omnibus tam bel  
licis, quam religionis laudibus cumulatum. qui  
cum octo, & quadraginta annos in Polonia regnasset, mul  
ta trophæa de hostibus omnis generis constituit, inter quos  
Germanos memorabili pugna ad Dumbrounū in Prussia  
deuicit, & quod nulli unquē regum, neque nationum de Ger  
manis licuit, hic solus est inuentus, qui cælis in acie uno die  
Germanorū quinquaginta milibus, Germanos a Polonis  
posse uinci docuerit. Prætereo alias uictorias, atque triūphos  
ipsius uarios, atque infinitos, quod illi nūc nihil ad nos, est ad  
nos, nihil ad hoc tēpus, de quibus tñ eruditi homines multa  
scripserunt. hoc tñ dicā, id quod a patribus traditum memi  
nisse debetis, magnum hunc, & excellentē regem, ac admi  
rabili regnandi sapientia in Polonia fuisse, qui non satis se  
functum officio, ac munere regio putabat, si tantum res hu  
manas administraret, nisi etiam res diuinas summo studio  
curaret. Itaque Lithuanam sine Deo gentem, ac impiam an  
te hac, ad ouile Christi primus adduxit, in Ecclesiamque dica  
uit. Deinde, cum litteras ipse nullas sciret, tamen hic omne  
litterarum genus, ac musas ipsas tam Latinas, quæ Grecas in  
Poloniam introduxit. nullum regnum est eratus, absque lit  
teris, nihilque sancti ac iusti, neque honesti ibi posse esse, ubi  
philosophiæ non uersaretur nomen: quod illa ex agresti  
bus ciuileis, ex immanibus mites, ex barbaris doctos, ex ho  
minibus postremo deos ipsos faceret. Huic ergo tam ex  
cellenti siue arti, siue uirtuti, siue diuinitati potius cuidam,  
Vuladislaus lagello domicilium in ea urbe collocauit, quæ  
caput ipsius regni fuit. Cracouiæ enim gymnasium con  
didit, quod omni uirtutis ingenij, ac doctrinæ laude ad hanc  
diem floret, ut inde, tanquam ex equo Troiano, in numerabiles  
uiri prodierint sapientia, & doctrina præstantes. In hoc. n.  
gymnasio lagellonis opera, non seposita aliqua philosophiæ,  
seu sapientiæ pars tractatur, sed tota ipsa, omnibus suis par  
tibus perfecta, atque absoluta. Summa hæc laus est Equites,

ingens Iagellonis gloria, immortale etiam in uos, liberofq;  
uestros meritum huius optimi, & diuini regis, quo ille  
tanquam luce quadam, atq; splendore mirifico, obruit om-  
nes uictorias, laudesq; non solum suas, sed etiam aliorum,  
qui Sarmatiam illam feram, & indomitam hac ista huma-  
nitate litterarum expoliuit, ut cum ferocius gente Polona  
antea fuerit nihil, nunc contra beneficio doctrinae hae eade  
nihil uideatur esse mansuetius, neq; humanius. Hanc ergo  
humanitatem, quam in templis, quam in foro, quam in re-  
gno ac in moribus nostris uersari uidetis, Iagelloni regi  
omnem debemus: qui accersitis in Poloniam litteris, adhi-  
bitisq; earum doctoribus, nos ab agresti uita, ad ciuilem uo-  
cauit, nobisq; persuasit, humanitate, & doctrina nihil esse  
melius, contra uero feritate, ac inhumanitate nihil esse ho-  
mine indignius, qua una re, atq; sola immortalem gloriam  
ille est adeptus. Nam uincere bello Germanos magnū qui-  
dem illi fuit, sed, quod uictoriae non bonorum uirorum sunt  
tantum, sed interdum etiam malorum, ideo uera carent lau-  
de: at curare, ut pie, caste, ac religiose uiuatur ab his, quibus  
prelis, solius e (mihi credite) hominis pii, casti, atq; religiosi.  
Iam uero, nisi diuino aliquo animi motu Iagello rex maio-  
ra concupiisset, & nisi fuisset natura philosophia in huius  
uiri mente quaedam, quomodo ille aut de litteris ipsis, aut de  
illorum doctoribus, ac de gymnasio condendo cogitare  
potuisset, praesertim cum litteram ipse legeret nullam? Qua  
autem chara fuerit Deo opt. max. haec Iagellonis mens, atq;  
uoluntas, inde apparet, quod ipsius genus longe, lateq; re-  
gnare, non in Sarmatia solum, sed in Hungaria, Bohemia,  
Slesia, atq; Morauia longaeuum, ac gloriosum uoluit: ut  
Iagellana progenies singulari Dei beneficio edita in hanc  
lucem esse uideatur ad retinendos homines in hac ciu. li so-  
cietate, ad erudiendam uitam illorum communem, ad con-  
stituenda regna, ad unienda imperia, denique ad proferen-  
dos fines humanitatis, atq; religionis. Iam uidetis Equi-  
tes, quae uestra est sapientia, e quo fonte profluxerit Sigismū-  
dus rex ad hominum uitam gubernandam, atq; conser-

vandam, quam puro, quam sancto, quamq̄ repleto omni  
militiæ atq̄ sapientiæ laude immortalī. Sed antequam de Si-  
gismundo dicam, audite per quos viros hæc auita uirtus ad  
Sigismundum peruenerit. Iagellone e uiuis sublato Vula-  
dislaus eius filius maior natu, huius autem Sigismundi pa-  
trius, regnum paternum suscepit. dignissimus filius illo-  
patre, ac successor intuendo paterno regno, omnium acer-  
rimus. qui extrema pueritia a Polonis rex est factus, Ineun-  
te uero adolescentia, rex est ab Hungaris absens expetitus  
bello Turcico maximo, atq̄ acerrimus hostibus. tanta opi-  
nio de illo animos omnium peruaserat, ut in illius indole,  
salus omnium gentium reposita putaretur: ita, ut & Polo-  
nis dare salutem, & Hungaros liberare periculis posse uide-  
retur. tanta uirtus huius regis fuit, tantus ad uirtutem im-  
petus, ut præter ætatem, periculosis temporibus, maxi-  
mis undiq̄ septus hostibus, duo regna maxima Sarmatiæ  
atq̄ Hungariæ, summa atque incredibili uirtute conserua-  
rit. Scythas in Russiam irruentes sæpe uicit, Valachos Po-  
lonis adiunxit, Amuratem ipsum spe, atq̄ cupiditate Hun-  
gariæ imminentem cum uniuersa Asia, ex Hungaria uictū,  
fugatumq̄ expulit, atq̄ eiecit. Cui quidem regi, ueluti Aa-  
ronem quendam, sanctissimum, atque fortissimum uirum  
Ioannē Capistranum de familia Francisci, Eugenius quar-  
tus in societatem Turcici belli miserat: quo ille administro,  
atq̄ comite, non solum Hungariam, sed omnes Christiano-  
rum prouincias ab æterno interitu conseruauit. Nam quā-  
diu uita incolumis Vuladislao fuit, tam diu Turcarum ge-  
nus minus potens, ac minus formidabile prouincijs nostris  
fuit. Illo uero Varnensi prælio uictō, quod ille uirtuti, ac re-  
bus secundis confusus, impari militū manu cū Amurate con-  
fluxerat, tantū Turcarū tyranni postea sunt adepti, quantū  
nūquam eo uiuo optare sunt ausi. In quo tamen prælio eni-  
tuit illa Iagellonis excellens, atq̄ inuicta in hoc rege uirtus,  
cum enim inclinaret iam uictoria, spesq̄ in sola restaret fu-  
ga, & cum cæteri exceptis Polonis fugerent omnes, ille ue-  
luti Cæsar alter, sui oblitus in confertissimas hostium cohor-  
tes, opem

tes, opem laturus luis, cū magna hostium strage se immisit:  
& cū quidam uī ex praelio reuocare iuuenem conarentur, se-  
rox monitoribus respondit. non esse sui sanguinis uincere  
uelle. & fugere. O generosam mentē, & magno rege dignā.  
Non ego te eo praelio perisse dicam VVLADISLAE, neq;  
immaturā mortē hoc loco deslebo tuam. uiuis enim rerū ge-  
starum tuarum gloria, & quandiu hic Sol terras aspiciet, uī  
ues. nam quod tibi aut puerilis aetas negauit, aut immatu-  
ra mors ademit, id tu suppleuisti uirtute tibi. quam ad hanc  
diem, non Hungari solum, pro quibus sanguinem fudisti,  
neq; Poloni, quorum cū patribus illo in praelio occubuisti,  
sed illi ipsi Turcae, gentesq; oēs barbarae a te deuictae uenerā-  
tur, fatalemq; tuum sanguinem, ad delēdū Othomanicū no-  
mē, sibi esse arbitrātur. Sed me longius prouexit Equites  
recordatio huius regis, cum grato quodam desyderio cōiun-  
cta, & quod hoc intuens corpus, de illis quoq; recordor, qui  
ex eodem sanguine erant creti, unde & hoc erat sumptum.  
Nūc ergo relinqua patruū Sigismūdi, tantū, ac tam inuictū  
spiritus regē, et ad parētes ipsius iā uobis breuiter ostēdēdos  
descēdā. uos quaeso, qđ adhuc fecistis, me diligēter audiatis.  
Vuladislao Varnensi praelio extincto, Casimirus frater, hu-  
ius autem Sigismundi pater, regnum suscepit fraternum at-  
que paternum, quinq; & quadraginta annos in Polonia re-  
gnauit, quo in spacio res ille tantas gessit, ut si de singulis mi-  
hi dicendū sit, abuterer tempore, & auribus uestris Equites.  
ipse etiam me ignorare uiderer, si ad res magnas huius ex-  
cellentis regis, orationem nequaq; parem adhiberē, præfer-  
tīm cum ad ipsum Sigismundum tota properet oratio. hic  
tamen Casimirus quātus rex fuerit, inde sciri potest, quod  
contra potentissimos reges, atq; summos Imperatores, non  
solum suae etatis, qua ille regnauit, sed omnis ante illū memo-  
riae, Poloniae regnum incredibili uirtute defendit. nam cum  
Matthia rege Hungariae fortissimo, atq; bellicosissimo, bel-  
lū in Sclesia acerrimū gessit, & Stephanū Valachiae Palati-  
nū, bellatorē inclytum, parere Polonorū imperio coegit, &  
Machometem Turcarū tyrānum, ex Valachia expulit, pa-

cēq̄ petere coegit. Prussiam maximo bello perdomuit: Mo-  
scouitā deuicit: Scythiam saepe repressit, pacem, oculum, ac irā  
quillitatem armis, atq̄ legibus in suo regno diligenter custo-  
diuit. quibus ille rebus cum esset apud omnes clarissimus,  
facile obtinuit, ut externis etiam auxilijs regnum Poloniæ  
muniret. quod sciret, regna, nisi finitimorū opibus, ac bene-  
uolentia iuuarent, firma non esse. Itaq̄ quod armis, atq̄ bel-  
lo assequi non potuit, ut pax illi cum Germanis de Prussia es-  
set: id uxore ex Germanis ducta, est assequutus. Nam de do-  
mo Austriæ clarissima, atq̄ totius Germaniæ potentissima,  
eac̄q̄ imperiali uxorem duxit Elisabetam, huius istius Sigis-  
mundi matrem, filiā autē Alberti Ducis, qui idē Romanis,  
Hungaris, atq̄ Bohemis rex fuit. cuius nuptiæ, cū essent ple-  
næ dignitatis, plenę concordiæ, ac regiæ cuiusdā maiestatis,  
ita tñ fecunditate, atq̄ prole beatæ fuerunt, ut uix e ueteri re-  
gum memoria, ullius nuptiæ, cum his Casimiri cōferri queāt.  
nati enim sunt inde filij sex, oēs patri superstitēs. quorū, serie  
quadā mirabili, atq̄ diuina, Vladislaus natus maior, in Hun-  
garia regnauit uiuo patre, Ioannes Albertus autem in Polo-  
niā patri successit, illi Alexander, huic uero sigismundus hic  
rex Restabant duo, quod illis credo meliora regna hisce ter-  
renis debebantur, Casimirus, et Fridericus. quorum alter in-  
diuos relatus est, alter uero urbis Romæ Cardinalis fuit.  
Filias quoq̄ septem numero, ex hoc eodem matrimonio su-  
sceptas, omnes Germanis principibus in matrimonium de-  
dit. atq̄ ita genere, ac sanguine suo cunctā Germaniam Ca-  
simirus compleuit, ut pauci sint ex omnibus Germanis prin-  
cipibus, qui cōsanguinei non sint Polonis. Felix Casimi-  
rus hac ita Deo grata, ac tam illustri apud omnis gentis  
sobole, ex quo tot, ac tanti orbis terræ conseruatores prodie-  
runt. Qui felicior ne in suscipiendis liberis, an diligentior in  
educandis fuerit, non facile dixerim, nā ut filias prætermi-  
tam, quę summa pudicitia, & digna illo loco, ac genere cura,  
a matre sanctissima, atq̄ diligentissima fœmina educaban-  
tur: filij certe ea disciplina fuerunt instituti, ut non regis filij,  
sed privati cuiusdam uiderentur esse. nullus in ijs educandis

regius sumptus, luxus nullus, sed sūma moderatio in uictu,  
amicū, atq; cultu adhibita fuit. norat siquidem ille sapien-  
tissimus rex, atq; idem pater optimus, fundamētum esse om-  
nis reliquę uitę, cum priuatę, tum publicę, institutionem ip-  
sam, educationemq; puerilem. hinc enim petuntur primum  
rudimenta illa ad laudem, & ad gloriā disposita, nempe  
quid honestum, quid turpe, quid iustum, quid iniustū, quid  
expetendum, quid fugiēdum sit, quid Deo, quid parētibus,  
quid amicis, quid ciuibus, quid legibus, quid ipse deniq; rei-  
pub. debeas. quę nisi tu ineunte ætate, in angusta, ac seuera  
uita cognoueris, inutilis homo, perniciosus rex tuis fueris, ne-  
cesse est. Quid enim per Deos immortales ab eo expectes,  
qui sine ullis honestis præceptis, ex puellarum coetu emer-  
sus, a cantu, a tibia, a luxu, a mascara, a uino, a somno, a stu-  
pro, ad summum Imperium accesserit: iactabit se mihi crede  
illius intemperantia in illa copia insolētius. neq; quomodo  
prosit, sed quomodo obsit rebus communibus, cogitabit.  
Nam cum uoluptas ipsa per se uirtuti sit inimica, tum uero  
si ad illam potestas aliqua maior, aut imperium accedat: in  
furorem agitur, de statuq; omni mētem exturbat humanā.  
Ex hac tali ratione illę humani generis pestes prodire par-  
tim crudeles, partim uero effœminati tyranni. hinc enim  
Bulsiris, atq; Phalaris illi ueteres, hinc Nerones isti recentio-  
res, ac crudeles tyranni, hinc etiam effœminati Sardanapali  
sunt orti. quorum uitam si inspicias, facile reperies ineuntem  
ætatem illorum, non parsimonię, neque disciplinę radi-  
cibus, sed ipsius uoluptatis, atque licentię illecebris nixam  
fuisse. Horum exemplis admonitus Casimirus rex, nihil  
prius habebat, quam ut illam primam filiorum suorum ata-  
tem, certis legibus, pudoris, uerecundię, modestię, atque ip-  
sius religionis astringeret, certo sibi persuadens, taleis fi-  
lios suos in regnando futuros, qualis illorum educatio præ-  
cederet. Et merito quidem, institutio enim puerilis, re-  
gum ipsorum primum proculdubio, medium, atq; postre-  
mum illis in regnando est. Hinc enim omnis ornatus uitę  
regibus est petendus: hinc contra fortunę tela præsidium

sumendum, hinc consilium, hinc autoritas, ac grauitas petē  
da, deniq; id quod caput est, quid sit regem esse, quid dece-  
at illū, quod officium regis, qui uultus, incessus, uictus, habi-  
tus, hæc sola recta institutio regi demōstrat. Non capit hæc,  
mihi credite angusta, ac nulla bona institutione erecta mēs:  
sed uacillat ac titubat in omni regio officio ac munere.

Qui enim rex hæc puer non didicit, is uitam miseram, deser-  
tam, cōtempnam, infamem, ac obtreccionibus expolitam  
agar, necesse est. His ergo malis, atq; his incommodis omni-  
bus ab initio Casimirus statuit occurrere. præpostere se fa-  
cturū ratus, si regnum ipsum filijs post se relinqueret, filios  
aut ipsos, quibus illud seruaret, negligeret. quare ne uidere  
tur, ut dicitur, plus curare calceum, quā pedem, summa ope  
requisiuit, cui nam instituēdos filios suos traderet. Erat illis  
temporibus uir doctus, & bonus Ioannes Lōgus, *Olugosz* <sup>p</sup>  
a Polonis uocitatus, cuius uita probata, ac inculpati mores  
cū illius comendarent doctrinā, facile Casimiro fuit persua-  
sum, qui hūc filijs suis doctorem accerserit. ut ex eius uiri p̄-  
ceptis atq; institutis, ueluti ex fonte quodā, atq; totius hone-  
statis radice, flueret illa regia disciplina, quam docti homi-  
nes summam esse rerum omnium uoluerunt. quæ mentem,  
linguam, ac orationem futurorum regum ad Reipub.  
gubernatiōem, cum summa laude dirigeret. Sic Casimirus,  
non aliquem externum, aut alienigenam, ac ignotæ uirtu-  
tis hominem filijs suis præceptorem delegerat, sed Sarma-  
tam, ac Polonum, eundemq; spectatæ doctrinæ ac integerrī-  
mæ uitæ uirū. Ita ille non in externa institutione, neq; in pe-  
regrina adolefcere mentem liberorū suorū uoluit, sed in Po-  
lona, atq; domestica. nec iniuria, ut. n. semina, si in peregri-  
nam mandentur terram, amittūt uim suam, sæpeq; in diuer-  
sum genus abeūt: sic puerorum ingenia, institutione degene-  
rant a patriā uirtute, ut ex duro Scytha, mollis fiat Arabs, ex  
Latino, Græcus, ex Polono, Italus. quare Casimirus, cum se  
sciret genuisse reges, non Italis, non Græcis, neq; Indis, sed  
solis Polonis, cauit diligenter ne quis primam illam indo-  
lem, nisi Polonus fingeret. Adhibuit itaq; Ioannem Lon-

gum, ut Polona institutione, Polonus ipse bonos reges Po-  
lonis eo diligentius efficeret, quanto in illorum institutio-  
ne salutem non solum regni, sed suam etiam inclusam esse uide-  
ret. Hoc ergo munere Longus non minus difficilis, quam ope-  
roso suscepto, statim ab initio amouit e conspectu illius tene-  
ræ ætatis pestem, ac perniciem iuuentutis libidines omnes,  
& illarum autores. non erant auditi in Longi ludo uersus  
impudici, non cantus, neque symphonia turpis, quæ aculeis ne-  
quitie incendunt ad uicium iuuenum mentes. nuncque ibi  
sunt uisi turpiloqui, nuncque ebriosi, nuncque mimi, nuncque amo-  
re aciuino, & mendacio corrupti hystriones. denique, nunquam  
illa diis irata mascara in ludo illo fuit: nihilque earum rerum  
omnium, quarum imitatione, atque consuetudine in uicium  
labitur iuuenilis ætas, talisque fit, quales sunt hi, quorum con-  
uictu lætatur. cum claudus enim ut dicitur, claudus eris. qua-  
re, aures illorum regum ab auditu, oculos a conspectu ta-  
lium flagitiorum diligenter fidelis magister continebat. li-  
bri boni ac moderati, pro hystrionibus cum regibus illis uer-  
sabantur. parsimonia uitæ, morum reprehensio malorum,  
irrisio, uirgæ medijs fidijs ipsæ, atque plagæ administræ il-  
lius institutionis erant, atque comites. Meminique me audire de  
nostris senibus, Casimirum dicere solitum, nullum se acroama  
audire suauius, quam eiulantem, ac uirga cæsum ab illo magi-  
stro filium. O regem Sparta dignum, qui in illis lachrymis, ac  
in illius uitæ angustijs fundamenta bene, ac sapienter regnandi  
filijs suis reposita esse arbitrabatur. Itaque cum magnarum  
rerum cupiditate monitore Ioanne Longo, incenderetur as-  
sidue præclara illa ad uirtutem indoles, uidetis quos fructus  
maturitate sua postea tulerit. Quid enim aliud causam puta-  
tis esse, quod omnes uicinæ gentes, atque nationes, ad Casimi-  
ri domum, quasi ad philosophi scholam concurrerent, unde  
non solum reges regnandi, sed etiam magistros bene uiuendi  
peterent: nulla fuit alia Equites, nisi ipsius institutionis opi-  
nio, hac enim impulsus sunt Hægari ut ab illo Vuladislauum  
regem sibi peterent, hac eadem Bohemi adducti Ioannem

Albertum expetiuerunt, ita Alexandrum Lithuanum, ita Sigismundum Sclesium. O felicem tali prole Casimirum, o ter, quaterque beatam Poloniam, quae tantae indolis primum, deinde uirtutis parens, atque alitrix extitit, quae quanta fuerit, testes sunt omnes gentes atque terrarum ora ultimae: quae ab hac ista uirtute, aut seruata, aut deuicta, aut cum Poloniae regno sunt coniuncta. Nec mirum, nata enim fuit haec uirtus naturam imperio aptam, ad quam cum accessisset usus, confirmatioque doctrinae, ad tantam laudem, dignitatemque peruenit. Et cum omnes isti optimi, atque omni laude dignissimi fratres florent ingenii gloria, sic tamen inter hos Sigismundus excelluit, ut tantum ipse uinceret omnium testimonio fratres, quantum illi uincebant reliquos omnes. Nam quae uestra opinio, quanta etiam spes omnium de hoc isto iuvene fuerit, testes sunt comitia illa, Casimiro mortuo Pyotrkouiae habita, ubi cum de rege deligendo deliberaretis, hunc natu minimum, fratribus maioribus Ioanni Alberto, ac ipsi Alexandro anteferre ad imperium uoluistis. & nisi partim Elisabeth mater, partim uero Sigismundi ipsius continentia fratri maiori concedentis, obstitisset, antetulissetis. Vos hoc loco appello huius regni robur, atque firmamentum Thencisci, quae iudicia de hoc isto regem fecistis: quanta contentione animorum, atque armorum uestrorum hunc regem sufficere patri uoluistis. Quid tanto motu rerum spectastis aliud, nisi speciem quandam, atque opinionem excellentis uirtutis: quae cum ipsa summa esset in Sigismundi fratribus, in hoc tamen ita excelleret, ut quantum aetate superaretur a fratribus, tantum ille splendore uirtutis, ac nominis sui fratres ipsos superaret. Quod autem ille se tum non extulerit, & quod a presenti iam regno, ac oblato abstinuerit, nonne hanc abstinentiam illius laudem cuius regno anteponendam putabimus: nisi enim insedisset in huius uiri mente constans, ac aequabilis ratio quaedam uitae, nunquam illi mihi credite abstinuisset ab eo, quod illi tum summa uoluntate, ac incredibili uestra conspiratione datum, oblatumque fuit. Nam non uolitare cupiditate gloriae, non inflammari ambitione ad rapienda regna, praesertim cum rex esse possis, hoc

omnium difficillimū opus est Equites : hoc solius sapientis,  
ac huius hominis est proprium, qui tamen hoc ipsum, quod  
fratribus ante se cōcesserat, quā cumulate postea a uobis sit  
adeptus, res ipsa docuit. Mortuo enim Ioāne Alberto, dein  
de Alexādro fratribus, uniuersi hūc ex Sclesia ad regnum  
paternū uocauistis, in summo ipsius regni discrimine, sū-  
moq; periculo. ita in eo solo restare spem regni, atq; salutis  
uestre tū putastis. quoquidē regno suscepto, ita illud unum  
& quadraginta ānos administrauit, ut omnibus opibus flo-  
rētissimū uobis post se reliquerit. In quo quidē regno, qualē  
f. regē ille gesserit, quibusue artibus illud administrarit, res  
ipsa iā poscere uidetur, ut dicā. fuit enim hoc secundum e tri-  
bus: quæ de hoc ipso rege dicenda ab initio proposuimus.  
Vtinā Equites ea in nobis esset oratiōis facultas, qua, ut par  
est, dicendo explicare possemus, qui nam huius regis in re-  
gnādo mores: quæ artes: qui modus fuerit. Nunc uero cum  
uirtuti Sigismundi regis non tātum mea, quæ nulla est, sed  
nullius omnino possit par oratio inueniri, date mihi hāc ue-  
niā, ut non tam orationē a me ipsam, quā rerum ipsarū, quas  
is gessit, commemorationē expectetis: quarum recordatiōe,  
ac memoria, & hoc mœstum illius funus celebremus, et alijs  
præscribamus, quales reges in regnādo esse cōueniat. Ego  
enim sic existimo in sūmo rege, quatuor has res inesse oportere,  
sapientiam, iustitiam, fortitudinem, atq; clementiam.  
Quis igitur hoc homine sapientior rex unq; fuit? qui mox  
suscepto regno, non unam aliquā partem regni, sed omnes  
illius partes animo complexus est: quæ cum laborare uide-  
rētur, præsentem medicinā omnibus summo cum præsidio  
attulit. Nam cum Poloniae regnum maximis bellis, quæ pa-  
ter, ac fratres ante illum gesserāt, exinanitū, ac omni consilio,  
& auxilio destitutum accepisset, ineundam sibi ante omnia  
rationem putauit, quod & auxilijs iuuare, & cōsilijs firmare,  
& opibus reficere regnum posset. Multa illi ad ea expedienda,  
quæ animo conceperat, obstabant: inopia primum ar-  
mij assiduis bellis exhausti: deinde, desertū ab amicis regnū.  
Nunc enim tempore Poloniae regnum maiori motu rerum

fuit, quam eo, quo a Sigismundo est susceptum. Hinc enim influebat tota in Rūssiam Scythia, hinc bello affecta imminabat Valachia, hinc Asia Turca duce minabatur nobis tota, cum Germanis etiam, non satis certa nobis propter Prussiam pax fuit. Hic Sigismundus solus in medio relictus, ac magnis undique periculis circumuentus, ostendit patrię illud speratum lumen animi, ingenii, cōsiliique sui. Omneis enim finitimos partim societate sibi adiunxit: partim foedere reconciliauit, partim uero bello deuicit. Nam Valachiam insperata uictoria de Ioanne Alberto elatam, fregit, ac domuit. Scythiam quoque multis praeliis secundis deuictam, ad extremum tandem munificētia, liberalitateque sua infide habuit: perfecitque ut Scythę genus hominum ferum; ac indomitum, liberalitatem ipsius potius quam arma experirentur, quem illi honorē ante Sigismundum, nulli regum, ne illi quidem Alexandro domitori Asię habuerunt. Cum Turcarum etiam tyranno, cum, ab omnibus derelictus, solus periculosissimum bellūgereret: foedus ad extremum fecit, magis ex suorum tempore, quam, ut id utile rebus communibus arbitraretur, de quo quidem foedere dicam alio loco Equites, & ita dicā, ut hoc ipsum foedus, quod nonnulli reprehendunt, magna necessitate factum fuisse, ostendam. Nunc dico in his foederibus, atque bellis Sigismundū aliud spectasse nihil, quā pacē, et ocium suorum, ut uidelicet Polonia tot iactata casibus, tot afflictis claudibus, tot denique oppressa malis requiesceret aliquā, & se ex diuturno labore, pace, ac quiete reficeret, quę eo miseriarū iam uenerat, ut neque priuatis, neque publicis opibus posset contra uim hostium subsistere, ita enim Iagello Germanico bello, & Vladislaus Turcico, & Casimirus Prutenico, atque Hungarico, & Ioannes Albertus Valachico Poloniam attriuerant, ut in mediā uictoria uicta esse prope modum ipsa Polonia uideretur. Quare cum spes restituendi regni nuscque nisi in pace Sigismundo restaret, propterea hęc ipsam pacē, omnibus bellis, foederibus, societatibus atque affinitatibus quaesiuit. Nam sorores quas habebat, in Germaniam nuptū dedit, qua affinitate ille Germaniam cum Polonia non solū coniunxit:

coniunxit: sed etiam Germanorum opibus illam cōtra om-  
nem uim munivit. Nobilissimis enim, ac potentissimis ex ea  
gente illas collocauit. qua sane re perfecit, ut illi primo om-  
nium Poloniæ regum pax cum Germanis firma esset. Nā,  
quod is cum Prutenis bellum gessit: priuatum illud bellū  
prutenorū fuit, nulla publica ipsius Germaniæ autoritate  
susceptum. Et ne quid forte, quod ad pacē spectaret, præter  
mittere uideretur, cū iam Scythas liberalitate, Valachos  
deditione, Moscos uictoria, Germanos affinitate sibi, ac  
suis obligatos haberet, restabant Hungari, quos & si illis tē-  
poribus Vuladislaus frater cum Polonis cōiungebat, tamē  
Sigismundus longius prospiciēs animo, Hungaros in per-  
petuum Polonis uolebat deuinctos esse. Itaq; cū Scepusia  
domus princeps in Hūgaria esset, Stephanusq; Trāsiluania  
Palatinus rerum post Regem primus in Hungaria potire-  
tur, eius filiam Barbaram in matrimoniū duxit, consenti-  
ente Senatu, ac approbātibus bonis omnibus. Iæta hoc ma-  
trimonio Polonia fuit, non tam, quod societate illi nouā at-  
tulerat: quā quod talē reginam ex Hūgaria acceperat, quæ  
ob sanctissimos mores, castissimā uitam, ac ob admirabilem  
pudoris atq; uerecundia famam, Hester fuit uulgo appella-  
ta. Sed hæc uoluptas huius leticie nō diuturna Polonis fuit,  
nam Barbara anno quarto, postq; in Poloniam uenerat, ui-  
ta est functa, magno cum mœrore ipsius regis, dolore autē  
omniū uestrū incredibili. quæ tamen ipsa moriens, reliquit  
uobis pignus inita societatis cū Hungaris, filiam enim ex ea  
Hedwigim Sigismūdus susceperat: qua Ioachimo Marchio-  
nij Brandeburgēsi in matrimoniū data, pacem Polonis cū  
Marchia fecit. Ita ille hisce artibus in omneis partes intētus,  
pace parta Poloniam assiduīs bellis afflictam, exinanitam  
atq; proiectā erexit: refecit: ac plane denuo cōstituit. Quāta  
hæc fuerit illius sapientia, ex alijs quoq; potestis suspicari  
Equites. alij enim pace bella querunt, hic uero nihil bellis  
nisi pacem quæsiuit, alij regna suscipiunt, ut finitimos bello  
uexent, hic regnū absq; finitimorum beneuolentia infirmū  
esse duxit, a liq; foedera inueniunt, ut ad euertendam pacem

31  
spacium habeant: hic omnia foedera quae cum Turcis, cum  
Scythis, cum Moscis, cum Valachis habuit, pace terminauit.  
Quis hunc regem non ad evertendos homines, sed ad seruandos,  
non ad bello inter se committendos, sed ad pace coniungendos,  
natum fuisse neget? Cum enim pacem omni regno suo  
compararet, non tantum suis, sed etiam alijs gentibus atque  
nationibus pacis autor fuit. Et quod inter omnes constat  
pacem mutua Christianis prouincijs stabiliorē nunquam fuisse,  
quam Sigismundo rege fuerit. sic ille non tantum quid sibi soli  
utile esset, spectabat: sed complectabatur ad suam, & ad com-  
munem omnium salutem omnes finitimos reges, atque nationes.  
pacis enim autor omnibus fuit: ad pacem inuitabat, hor-  
tabatur, ac monebat omnes. ualuisseque utinam illius diuina  
uox, atque sententia apud Ferdinandum, ac Ioannem reges,  
staret nunc, mihi credite, Hungaria: neque Turcis per illam ad  
nos ac ad omnes pateret uia. Verum cum illi reges belli, quam  
pacis essent cupidiores, Sigismundumque non audirent, ab  
Hungaria ambo exciderunt: cuius motu, atque casu, ea quoque,  
quae dudum ante habebant, cum magno comunium rerum  
detrimento, partim affligerunt: partim amiserunt. Et merito  
quidem, pace enim de medio sublata, quid utriusque salui esse  
potuit: pax enim est parens, atque fons omnium rerum bonarum.  
Equites, sine hac nihil hominibus iucundum in uita, nihil  
stabile potest esse. quam qui oderunt, feri & indomiti, ac crude-  
les tyranni sunt habiti. contra uero qui huius patroni, atque au-  
tores fuerunt, soli homines, soli sapientes, ac generis humani  
conseruatores sunt dicti. & iure quidem. pace enim uiuunt  
leges: excoluntur mores: tractantur artes: uictus postremo ip-  
se ad uitam degere dā necessarius, ipsius pacis est fructus. quo  
etiam fit, ut difficilius sit pacificum regem esse, quam bellico-  
sum. quanto enim quisque ratione magis deficitur, tanto est  
ferocior, & ad bellandum procliuor. At pacis autor, atque cu-  
stos nemo potest esse, nisi idem uir sapiens fuerit. Eadem  
enim partes sunt pacis, quae sunt ipsius sapientis. nam pacis  
hic finis est, ut in ea conuenienter naturae ac legibus uiua-  
tur, qui finis idem profecto est, & ipsius sapientis. hoc enim

10

solum ille curat, ne quid a natura, ac legibus aberret. Quare nihil tam cum sapientia pugnat, ut videtis, quam odiū, discordiæ ac bellum. hinc enim existunt regnorum mutationes: hominumque ipsorum, ac legum interitus: quæ conseruare, ac costabilire est ipsius sapientis. quod in Hungaria ne esset, tanquam ex aliqua specula denunciabat Sigismundus Ferdinando atque Ioanni tempestatem futuram. quam cum illi non prospicerent animo, demonstrantemque Sigismundum non audirent, repente illa tempestatem inuoluit, ac corripuit omnia. Hungariamque sine legibus: sine iudicijs: sine rege: sine fide, exposuit direptionibus, & incendijs. At Sigismundus interea cum conscientia consiliorum suorum niteretur, nunquam facere, agere, ac moliri omnia destitit, quo, si minus pacem inter illos reges conciliaret, regnum tamen suum ab illorum contentione abduceret. Qua in re tanta sapientia tantamque moderatione fuit, ut in summa illorum contentione, utriusque charus esset, utriusque socius, atque amicus. cum quibus ut pacem & amicitiam firmaret, alteri, hoc est Ioanni, filiam suam Elisabetam, e secunda uxore, hac ista grauissima, atque clarissima Bona Sforcia, de qua dicam alio loco, in matrimonium dedit. Alterius uero filiam huic Augusto regi nostro, filio autem suo charissimo, atque unico, quem nobis ex eadem Regina reliquit, collocauerat, quæ nuper magno omnium cum dolore ac moerore decessit. Ita ille, non arma tantum operumque omnes suas, sed etiam sanguinem ipsum, genusque suum uniuersum in pacis rationes conferebat. sanguinemque suo quam plurimas gentes, atque nationes sibi, regnumque suo obstrictas esse uolebat. Et cum bellicosissimis nationibus, uictoriosissimisque populis præesset, tamen hanc tantam copiam, non bellorum opes, ac neruos, sed pacis instrumenta esse putabat. quæ pax inquam, in regno constituta, quanta bona effecerit, quas artes excitauerit, quas opes huic regno tantam privatim, quam publice pepererit, attendite Equites, mentesque uestras paulisper ab hoc moerore uestro, ad res uestras, abducite. quarum status ante Sigismundum, qui fuerit: hæc uestra præsens testatur copia. quam si conferre uolueritis, cum opibus illis uestris prioribus, inopia summa atque egestas illæ uidebitur

101  
tur esse præ hisce, quæ nunc sunt, an vos illas opes putabitis  
esse Equite Polono dignas: quæ tam modicæ fuerunt, ac pene  
nullæ, ut legibus etiã uestris cautum fuerit, ne triginta mar-  
cas dos Equitis filix superaret. nõ moderatiõis mihi credite  
sed postremæ inopiæ hæc ista lex fuit, cuius cum nos (ita me  
dij ament) sub puderet, legem hanc dotalem tulimus, ut id  
quod inopia fiebat, lege fieri putaretur. cū interim bene se il-  
lis reshaberet, qui locupletes uideri uolebant, si illorum san-  
ctius ærarium ipsas triginta marcas haberet. neq; uero hæc  
inopia tatum in ordine Equestri fuit: sed ipsi etiam medius fi-  
dus Senatores, ne plus centū marcis dotis nomine filix nu-  
benti darēt, lege, hoc est egestate, prohibebātur. Sed quid ego  
dotem huius inopiæ signum fuisse commemoro? cū capita  
occisorū Equitum, tanq; pecudum, non ipsius interfectoris  
capite, ac sanguine: sed precio, ac centū marcis, cōtra omnia  
diuina, ac humana iura, soluerentur: ut non multa, non  
pœna, non supplicio, sed tam uili ere, capita uestra æstima-  
rentur, cedescq; expiarentur. Ex hac tanta, ac tam infami tanq;  
impia æstimatiõe apparet egestas illa regni, quanta fuerit,  
quæ tanta fuisse uidetur, ut animam quis pro capite facilius  
daret, quã hanc pecuniam solueret. quam utiq; illis tempo-  
ribus grandē fuisse cōstat, quæ nunc autore Sigismundo nul-  
la est. Quid uero illa macula, atq; labes nominis, ac generis  
uestri parum ne indicat, quam inops a pecunia fuerit hoc re-  
gnū: nã si quis fur pecuniã furto a quopiã uestrū abstulerit,  
capite plectitur, atq; suspendio, si quispiam autē eum, cuius  
hęc pecunia fuerit, occiderit, pecunia occisi caput soluit. Ocõ  
memorandas leges, et dignas, quæ in hac Repub. uerentur:  
quibus nos tanq; pecudes precio, ac mercede liccarijs,  
& interfectõibus addicti sumus. Quã uos non legem, sed  
perniciẽ, atq; pestem uestrã, primo quoq; tẽpore, de medio  
tollite Equites, si salui esse, & boni uiri haberi uultis. de quo  
quidem ipso erit forasse nobis apud uos alius dicẽdi locus.  
Nunc uos iam perspicißis, quanta hæc inopia fuerit, cui om-  
nes leges diuinæ, ac humanæ in Polonia cesserant. Quid in  
priuatis ne tantum rebus hæc tanta inopia fuit: immo uero

multo etiã maior in publicis. Recordamini enim, per deos  
immortales illas angustias ærarij, amissa uectigalia, bona,  
uillas, urbes, atq; prouincias regias pecunia obligatas pri-  
uatis hominibus, tum demum statuetis, quantũ Sigismũdo  
regi debeatis, qui hæc omnia redemit, recuperauit, ac libera  
Reipub. restituit. quarum rerum inopia erat factum, ut ho-  
mines historici litteris mandarent, Polono rege miserius  
esse nihil. & ita profecto res est, si tempora illa respicias, qui-  
bus illi scripserũt. An uobis tum regnum hoc diues fuisse ui-  
debatur, cum subsidia belli, ac ornamẽta pacis medicato pe-  
ne reges uestri quærent: cum pignoribus, obligationibus,  
ac mutuacionibus, nã solum bella administrarẽt: sed etiam  
domi uiuerent: cũ ita exinanitum erat ærarium, diminuta  
uectigalia, omnes uille, possessiões, salinæ, prouincię pigno-  
ri oppositæ, ac a regio usu auersæ, ut rex ipse neruis prorsus  
careret, quibus reipub. gereret? Quis unq; non dico rex,  
sed priuatus homo, aliquid sepositum ad usus necessarios  
nõ habuit? soli ex omnibus reges uestri sunt inuenti, sine  
ullo sanctiore ærario. nihil fingo Equites: memoria in me-  
dio est. res ipsa. legite priuilegia bonorum obligatorum: fa-  
cile reperietis eo inopię redactos fuisse illos superiores reges,  
ut si nõ dico bellum aliquod ab illis esset gerendum, aut filia  
elocanda, sed equus ipse emendus, non prius haberent, quã  
aliquid adderent ad priuilegij summã. Quare cũ maximus  
nodus in repub. sit inopia rei pecuniarię: sepe fiebat, ut per-  
niciosa consilia reges nostri inirent auferendorum e templis  
uasorum, ac nouorũ imperandorum uobis tributorum. res  
etiam ipsas ad summam reipub. pertinentes, inchoatas, atq;  
affectas, cũ magno ipsius Reip. detrimento intermittebant.  
difficile enim est efficere aliquid magni, cum egeas, quod pe-  
cuniæ nerui sint omnium bene gerendarum rerum. Ex his  
tantis, tã diuturnis, tã postremis difficultatibus, angustijsq;  
quibus omnes res nostræ priuatæ, atq; publicę premebãtur,  
Sigismũdus rex summa sapientiã, atq; incredibili celeritate  
hoc regnum expediuit. comparatis enim pecunijs, ac vndiq;  
collectis Ioannis Bonerj opera, uiri præclari, atq; industrij, Sa

linas primum, deinde prefecturas, postremo uillas, urbes,  
possessiones omnes redemit. atque grandi perfoluto, uectiga  
lia constituit: fructus prouinciarum auxit: erarium collapsum an  
tea atque effusum, ingenti pecunia cumulatū, atque referū uobis,  
reique uestre publicae reliquit. Quid uero hoc eodē Principe,  
atque duce res uestre priuatae, ex illa Reip. nocte a Sigismū  
do productae, quāta luce & quo splendore nūc fulgeant, quis  
poterit, ut par est dicere? Agri mediusfidius ipsi, syluae, itē  
ac nemora, ruraque ac coloniae uestrae, que in pacis sinu a Sigis  
mundo collocatae, medio (ut sic dicam) ocij gremio nunc  
continētur, gestire mihi uidentur, atque huic auctori, parenti,  
ac conseruatori suo gratias agere, quae situ antea squallebant  
omnia. nunc uero hac noua luce opum, & copiae ab hoc il  
lustrata, fulgent, mouentur, seseque ad summā utilitatē uestrā,  
reique publicae dignitatem efferunt. Eos enim fructus iam uo  
bis subministrant, ut hos nullum bellū, quamuis atrox, atque  
diuturnū, exhaurire possit. Mādate hoc memoriae Equites,  
spero multa uos, liberoseque uestros ac maiora indies bona ui  
suros: in hisque semper ita existimabitis, sine Sigismundo re  
ge nihil horum uos fuisse uisuros. Nam ante illum quid spe  
rare potuimus, in illis p̄sertim tantis angustijs: cum mentes,  
animique uestri debilitaretur inopia, ipsaque egestas nobis ad  
omnia, quae concupieramus, magna atque praecleara, obstaret.  
quae nunc sublata de medio, atque remota, res nostras secun  
das ornauit: aduersis praesidium attulit, bello subsidia, paci  
vero ornamenta suppeditauit. Auctae iam sunt uestrae dotes,  
quarum modus non in lege ut antea, sed in uoluntate uestra  
pendet: uiluit aurum, cuius usus nimius iam fastidium uobis  
parit. Argentum etiam ipsum, non priuatorum hominum  
uidetur esse, sed illorum regum superiorum, nihil de aere ipso  
loquar, quod auro, argentoque uestro obrutum, uix iam com  
paret. Ita Sigismundus, quasi alter ex Hierosolymis Salo  
mon, non copiam auri, atque argenti, sed uilitatem Polonis at  
tulit. Et quod in primis laudatur in Salomone rege quod il  
le diuturna pace aurum, atque argentum lapide uilius Hiero  
solyms reddiderat, hac certe laude illi Sigismundus non so

lum illi par, sed etiam superior fuit. salomonem enim illa copia dementauerat: ac a Deo suo patrio auerterat, hic vero in vberriis copijs, religiosissimus: in summis vero opibus, temperatissimus ad extremum fuit. nihilq; ad vltimum spiritum curauit magis, quam vt ipsius regnum in pace, vigeret ingenijs, valeret doctrinis, ac omni humanitatis, et religionis laude floreret. Quando Equites hoc regnum: quando vberius ingenijs, aut cultius ynq; doctrinis fuit: nunquam Equites. omnia se simul hoc rege in Polonia profuderunt, pax, opes, littere. rarum fuit antea, ac pene inauditum in Polonia Græcarum litterarum nomen, quæ ita erant hominibus nostris incognite, vt id quod quis nō intelligeret, Græcum esse diceret. iam vero Latina ipsa oratio, quam absona fuerit, atq; barbarâ, Biga & Baraletus sunt testes. boni quidem illi viri, sed tamen inepti magistri, ac rustici. Conferte nunc cū his ea, quæ & ipsi didicistis, & in quibus liberi exercentur vestri: nō barbariam, sed Græciam: non Sarmatiam, sed Italiam dicitis factam esse Poloniam. vt iam nō musæ Græcæ, neq; Latinæ, sed vrbes medijsfidius ipsæ, Roma atq; Athenæ, honore, præmio, ac fauore Sigismundi inuitatæ, commigrasse in Poloniam videatur. ita mens, sonus, ac subtilitas vtriusq; orationis non externa, sed vernacula, nō peregrina, sed domestica in ore nostrorum hominum versari mihi videtur. Circumspicite Equites, quam vndiq; circumferantur versus optimi, audite quibus laudibus solutæ ac iunctæ orationis suauissimi huius regis a Polonis celebretur memoria. Nihil dico de me, cuius oratio, quantulacunq; est: aut si quæ omnino est, huius regis beneficio creuit. Voluimus quidem & nos de hoc Rege aliquid dignum ex hoc loco vestris afferre auribus: sed tamē id assequi, tarditate, vt par fuit, non potuimus: studio tamen certe et voluntate proximi illis sumus, qui litteras suas, artificq; optimas huic Regi acceptas ferūt: & qui hunc quasi quendam mortalem Deum, alto cœlo demissū, mirantur, ac hæc ipsarum litterarum opera, quas illius beneficio didicerunt, cupiunt eum esse immortalem. Viues ergo o diuine Rex laudibus, carminibusq; nostris, nosq; e cœlo.

benignus aspicias, tunc uocis numine, ac munere hæc bona propria nobis uelis esse, quæ hinc abiens reliquisti, commouit lacrymas, fletusque interpellauit orationem meam.

Sed tamen, quod institueram dicere, par hic pacis artibus Salomoni regi fuit, constantia uero recti propositi, longe illo superior, quod ut æquabiliter in omni uita tueretur, diffusus ingenio, quaesiuit in suo regno socios tantarum rerum tuendarum optimos, ac probatissimos. Habuit. n. ex delectis uiris summa autoritate Senatum, ita, ut hoc constet, in Polonia simili splendore consilium nullius regis unquam fuisse. Tria autem præcipue in deligendis Senatoribus spectare solebat. Genus primo ipsum: quod maior autoritas apud homines nescio quomodo spectatae nobilitatis sit, quam incognita. deinde sapientia præstantes, postremo sententia, & lingua liberos. quod si quando in his legendis remissior fuit, in his magistratibus mandandis certe fuit, quibus summa non continetur regni, & in quibus homines non gerunt rempublicam, sed gerere discunt. In summis autem regni magistratibus, quam diligens fuerit, ut non repetam uetera: testes sunt hæc lumina regni, recensete uiros hos, & illorum familias. non ut illos laudemus: sed ut in illis delegendis iudicium, ac sapientiam Sigismundi incredibilem admiremur. Adest Princeps regni Tharnouia domus, quid ex hac eadem domo maius? quid rebus gestis clarius? quid dijs hominibus charius, hoc isto Ioanne Tharnouio Castellano Cracouien, hoc in Regno unquam fuit? cuius tot extant uictoriae, quot sunt huius regni inimici: tot trophaea, quot deuictae provinciae: tot triumphi, quot ab illo subiugum missi hostes. quo homine Sigismundus Rex custode peritissimo, imperatore acerrimo, ac foelicissimo periculosissimis temporibus, maximisque hostibus hoc regnum defendit: Scythiamque, Valachiam, ac Moscouiam deuicit: omnesque hostes uestros hoc duce, aut parere uobis, aut certe cedere coegit. prætermitto Turchiam ipsam, quam in Hungaria Ludouico regi infestam, ac inimicam, ne capta Alba Graeca omnia simul euerteret: hoc eodem Ioanne Tharnouio duce prohibuit, atque repressit. Quid uero hic, qui hunc ordine consequitur,

tur, Petrus Cmiſa: lumen, atq; ornamentū huius regni, non splendore Vuſniceñ. familieꝝ non ſapientiaꝝ nō autoritateꝝ non iuſticiaꝝ non rebus geſtis a Sigismūdo impetrauitꝝ ut ad hunc unum ſummos magiſtratus huius regni deferretꝝ Palatinatūq; Cracouiē, Marſalcatum (utamur enim uerbis noſtris) p̄fecturas itē magnas, ac illuſtres illi mādaretꝝ Quid hic Ioannes Latalicius Poſnaniē. Palatinus ꝝ homo quidem Equeſtri loco ortus, tanta tñ uirtute, tantaq; ſententiæ libertate p̄ditus, ut ipſe ſuis ſubnixus opibus in Sigismundi ſenatum aſcēderitꝝ Quid uos decus huius Regni, atq; præſidiū Tencifciꝝ: quæ ornamentaꝝ quæ inſignia ſummæ, atq; excellentiſſimæ uirtutis ueſtræ a Sigismundo non eſtis adeptiꝝ uidiftis enim Andream ex ueſtro ortum loco, paruū quidem illū corpore, ſed ingenio, ac eloquentia ſummū Caſtellanum Cracouiē. uidiftis etiam Ioannem fratrem Palatinum Sendomiriē nuper defunctū. Sed quid ego mortuos commemororꝝ cum tu ipſe Ioannes Sendomiriē Palatine corā hic præſens adſis, qui cum ob ampliſſimā, & haud ſcio an maximam in hoc regno familiæ tuæ dignitatē, tum uero ob prudentiam ſapientiſſimo ſene dignam a Sigismundo dignus es habitus hoc iſto loco, & ordine. Iam uero quomodo te Stanislæ Laski prætereamꝝ cuius genus, & induſtria, ſpiritusq; illi ſenatorij domi, ac foris cogniti apud Sigismundū tibi ſunt ſuffragati, ut Sira dieñ Palatinus eſſes.

Verecūdius de te dicerem Nicolæ Brudzoui, ſi meo nunc iudicio uterer nō alieno, quanto enim tua erga me beneuolentia maior eſt, tanto ego minus poſſem de tuo genere, uirtute, ac doctrina dicere. nunc uero quoniā ſenatū Sigismundi non priuatos amicos cōmemoro, dico Sigismundū in te fuiſſe ſecutum, ut Lāciciē illi Palatinus eſſes, cū genus ipſum uirtutemq; egregiā, tum uero uel in primis literas, ſtudiaq; doctrinæ: quibus inſtructus, atq; paratus uocatu Sigismundi in illius ſenatum ueneras, ut eſſetis cum hoc Petro Firlegio Ruſſiæ Palatino, quaſi quædam in Sigismundi ſenatu duo ſidera ſplendentia omni philoſophiæ laude, atq; doctrinæ. Veſtræ quidem ſenatores ſucceſſit laudi hic Ioānes Coſcie-

lecius, In Noua adislauiē. Palatinus clarissima, atq; muniff  
cētissima ortus familia, cuius maiores tantū inopia publica,  
de qua paulo ante dixi, commouebantur, ut per grādem pe-  
cuniam, qua obligata bona Regia habebant, regibus remit-  
terent: Marigeburgoq; ac alijs ampliffimis possessionibus  
ultra Casimiro Regi concederent: cum nummū nullum ex  
illa infinita obligatione acciperent. tanta fides Coscieleciæ  
gentis erga uestros reges fuit: ut in summa sua copia, inopes  
se arbitrarentur esse uestro egeno rege. Sed quid ago? aut  
quo progredior? incidi in numerū uestri senatores clariffimi,  
in quo difficile est ex uobis nō aliquē, nefas quēq; præterire.  
sed dabitis mihi profecto hanc ueniam: & quod in ipso cur-  
su orationis tam multos prætereo, quosdam autem attingo,  
partim id tempori, ac auribus uestris seruiens facio: partim  
uero, quod me uox, lingua, latera, prius in dicendo deficient,  
quā ut par est explicem, quid in unoquoq; uestrū deligendo  
Sigismūdu fuerit secutus. Quāta tamē sit autoritas omniū  
uestrum, cum summa beneuolentiā Equitum Polonorum  
coniuncta, cum ex his de quibus iam diximus, sciri potest: tū  
uero uel maxime ex hoc isto Andrea Gorcano Comite Pos-  
naniē Castellano, ac superioris Poloniæ præfecto, qui ado-  
lescens, ac pene puer ita commendatione excellentis uirtutis  
Sigismundo regi charus fuit, ut dignus ab illo, & summis  
honoribus haberetur: & qui patri Lucæ clariffimo uiro in  
ampliffima præfectura, ordineq; succederet. Cuius ea ē auto-  
ritas apud omnes: ea dignitas, is uitæ splēdor, ut nullius opes  
in hoc regno maiores unq; fuerint. In quo quidam homine  
illud, quod Platoni illi philosophorū deo difficile uidebatur,  
ut summa opes cum summa uirtute in eodem homine pos-  
sent esse, ita utrunq; cum summa laude excelluit, ut nihil in  
Polonia illo sit ditius, nihil etiā melius. Nam bonarum rerū,  
& literarū, ac ipsius doctrinæ ita studiosus est, ut aliud cupere  
uideatur nihil: opes etiā ipsius non libidinum, neq; cupidi-  
tatum sunt instrumenta: sed humanitatis, uirtutis, atq; digni-  
tatis singularis. hoc homine Equites quoniam uehementer  
nituntur res uestra, salutem illi, ac incolumitatem, quod

facitis: uelle & optare debetis. Ex is tot, & tantis, ac talibus uiris apparet, qualis rex iste fuerit. Et haud scio an aliud signum boni sit regis quam ipse senatus: apud eum regē præsertim, qui non sua, sed conseruandorum hominum causa se factum esse regē nouit. Quemadmodum enim est in ipsis artibus, in quibus quales ipsi artifices sint, instrumēta illarum declarant, sic etiā cum ars artium omnium sciētia sit administrādi regnī, nusquā ratio ipsius regis magis apparet, quā in ipso senatu, qui instrumētum quoddā bene gerēde ciuitatis suo regi est. qui si nequā: si iniustus: si helluo: si rapax, ac sceleratus fuerit, certo scito consimilem quoq; illi esse regem. Quid ita: quia mens ipsa infelix, non iam regis, sed tyranni, cum spe, atq; cupiditate omnia suorum ciuium deuorarit, nihil agit, nihil aliud dies, atq; noctes molit, quā ut ne quis illi omnino ad ea obstet, quæ concupiscit. Quare tyrannus omnis ueluti quædam immanis bellua, in formam humanā insuta, antequam sternat ciues. uastet leges, ac solus deuoret omnia, senatum omnem tollit funditus, si quem habet. aut curat ne quis in senatu illius sit genere, sententia, atq; lingua liber. Ita tyrannus aut senatu caret, aut si quem habet, ex obscurissimis quibusq; atq; nequissimis, linguaq; ac mente seruis collectum senatum habet. si tñ senatus dicēdus est cœtus ille infelix ex teterrimis quibusq; hominibus ideo cōflatus, ut cum his tyrannus scortetur, potet, leges mutet, Remp. uexet, ac quorum assentatione, quasi cœstro quodam plenus perturbatione, atq; pœnitentia agatur in furorem, atq; in amentiam: ut ita uiuat sine fide, sine pace, sine certo foedere, ac in cœursu plorantium, atq; tēpestāte querelarum perpetuo uersetur plenus turbarum, atq; tumultus. Cogitate hoc loco per deos immortales Equites, & uestros illos ueteres tyrannos, & hos etiā aliorum nouos. ut hæc quæ dico, magis ex aliorum cōtēctione, quā ex oratione mea intelligere possitis. quam æquus Sigismundi senatus fuerit, quā iustus, sobrius, continens, atq; sanctus, ut facile appareat hunc regem, non suæ cupiditatis gratia, sed uestre salutis causa senatum ex his uiris delectum habuisse. Quem ille ordinē tāta cura coluit,

ut ab initio suscepti regni plenum senatum semper habuerit  
optimorum pontificum, ac fortissimorum uirorum, quod  
sine isto adiuuēto, atq; præsidio neq; ipsum se, neq; regnum  
suum putaret esse diuturnum. Quam etiam ob rem tanta  
ueneratione senatus apud illum fuit, ut pontifices dominos  
suos, senatores uero, sincere dilectos in litteris appellaret.  
O mentē non mortali aliquo regno, sed ipsa immortalitate  
dignam. cum enim penes solum regni summa esset, tamen  
& regni socios senatores, & pontifices dominos habere uo-  
lebat, ut regnum cum socijs certius administraret: & dños  
sua sponte sibi præponens, in summa potestate non insole-  
sceret. & cum solus omnia in regno posset, nihil tamen seor-  
sim ab senatu præter regium nomē haberet. quod tamē ip-  
sum summa moderatione ipsius senatus temperabat. a cuius  
autoritate nunquā dissensit. Nunquā ille suadente senatu pa-  
cē, bellum gessit. nunquā contra senatu ad bellum hortante,  
ille pacem fecit. ita in consilio ipsius parteis nullæ, dissensio  
nulla fuerunt, sed mirificus illo gubernante, atq; providente  
ad communem salutem consensus. non senatus illi Reipub.  
clauum in summis tēpestatibus gubernanti e manibus præri-  
piebat, nō ille uicissim senatus, quasi nauarum remigationē  
impediēbat, sed cum in senatu alij uenientem tempestatem  
denunciarent, alij pericula Reipub. tanquā nauis ostēderēt,  
alij uelis, atq; remis incumberent, ille tanquā sapiens naucle-  
rus ad gubernacula Reip. immotus sedebat. singulaq; mo-  
mēta temporum, locorum, hominum, ac periculorum expē-  
dens, eo quo spes salutis ostendebatur, consilia suorum, cur-  
sumq; regni dirigebat. Hęc ratio senatus, hęc illius optimi.  
atq; sapientissimi regis fuit in hac Reipub. prouidentia. ut  
mirum iam uideri nō debeat, si una ex omnibus prouincijs,  
atq; terris in tanto rerum omnium motu, Polonia salua, atq;  
integra steterit. non casu aliquo mihi credite, id est factum,  
neq; fato. rationi enim homines subiecti sunt, non casibus,  
consilijs, non fati. apud quos si quid non recte, aut ordine  
geritur, scito ibi nō fatum, neq; casum, sed rationem rectam  
defuisse. quæ cum a consilijs nostris abest, res nostræ cadunt;

15  
stare non possunt, quare si uos regnumq; uestrum sapientia regis uestri, fide uero, & autoritate senatus ad hanc diem stetit, illos qui iam conciderūt, resq; suas amiserunt, stultitia nō casu, amētia nō fato, periisse dicemus. An tu si quā in nauim ita moratā conscenderes, in qua aut nautæ nauclero remoto, aut nauclerus ipse reiecto clauo, coeliq; ac siderū uētorumq; ratione posthabita, uellet ipse remigare, salutem ne tu ullam ibi sperares: aut si quid naufragij accideret, fato cuidā potius, quam illis, qui permutatis officijs nauim euerterunt, naufragium illud tribueres? Ad eum modum Equites omnes prouincię quas aut ipsi uidistis, aut de quibus ab alijs audiuistis, perierunt: dum rex pro senatu ipse sibi esset, aut dum senatus officium regis obire uellet. providere enim, ac monere officium est boni senatus, regis uero gubernare, ac seruare. Quæ ratio administrandi regni, atq; moderatio cum semper constans, æquabilisq; in senatu Sigismundi fuerit, mirum non est, si soli propemodum ex omnibus gentibus, ad hanc diem integri sumus, & si hac ista felicitatis parte Polonia, cæteras omnes prouincias antecellat. quarum nulla illi hac ista parte est par. Non Italia, quæ uarijs seditionibus regū cum plebe libertatem amisit, nō Gallia, quæ sæpius fusa, atq; cæsa regem suū captiuum uidit. nō Germania, quæ nūc studio nouarum rerum de libertate omni periclitatur. non Hungaria, misera atq; afflictā, quam discors a rege senatus, puer uero rex funditus euertit. Non iam omnes oræ, atque exteræ genteis, ac nationes se hac parte nobiscum conferāt, quas omnes aut bellum euertit, aut seditio afflixit. sola Polonia Dei summo beneficio atq; huius optimi regis sapientia, ac consilio consentiētis senatus, cunctis nunc floret opibus, uiuūt suis legibus: moribus etiam, ac institutis antiquis ueterem suam retinet dignitatem. nec propter aliam causam (ut iam dixi) nisi quod in ea & sapiēs ipse regnabat rex, & reges ipsi (hoc est senatores) erant sapientes. Qui cum omnia diligenter prospicerent animo, rege in ipsa puppi Reip. sedente, ac clauum dirigente, nihil fortuna, neq; casus in rebus nostris ualuit, quæ si quid in rebus humanis ualent, ibi certe

21  
valent, ubi non recto consilio, sed precipiti temeritate aguntur, ac feruntur omnia. quare soli ex omnibus nunquam accusarunt hoc rege fortunam Poloni: nunquam de casu sunt questi: omnia enim secundum Deum, & illius providentiam in Sigismundi, ac illius senatus sapientia tam domi, quam foris, tam pace quam bello, erant nobis reposita. Subegimus hoc rege gentes antea inimicissimas nobis, atque inuictas: nonnullas nobis adiunximus. eaque omnia incolumi regno, saluis legibus, ac integra libertate, hoc duce gessimus. domi etiam illo auctore, atque principe convenientissime in summa benevolentia publice uiuimus. subsidia belli, ac ornamenta pacis parata ab illo, relictaque habemus, ut quocumque oculi nostri inciderint, nihil desideret ex rebus omnibus, quae ad uitam tuto, ac tranquille degendam pertineant. est enim pax a Sigismundo constituta nobis: sunt opes: uigent literae, est fortis, atque sapiens senatus. restat etiam hic Augustus filius spes unica regni, atque tantae laudis, atque gloriae paterna haeres, qui ut ea tueatur, quae illi pater amplissima reliquit, hanc istam sapientiam patris assidue intuebitur: res ipsius gestas, consilia item, atque rationes omnes administrandi regni sibi proponet. quae nullam rem esse declarant, in munere regio positae, quae sapientia Sigismundi regis non comprehendatur.

Verum haec ista sapientia, quam summam fuisse in Sigismundo rege, multis argumentis perspicitis, & si per se ipsa summa sit, est enim oculus quidam mentis, quo a magnis, atque excellentibus uiris causae rerum expetendarum, fugiendarumque cernuntur. Tamen haec ista sapientia, nisi habeat iustitiam in administrando regno adiunctam, infirma est, rebus etiam humanis non multum sane proficua. Neque enim satis est ut causam uideas, qua stent, cadantque regni res, nisi etiam causas illis, aut retentis, aut remotis, aequabiliter, iuste, ac legitime in ipsa Repub. uersere: utque in primis cures, ut in tanta uarietate, rerumque humanarum conuersione, quam minimi motus in Repub. existant. quod si qui acciderint, ut sine detrimento communi accidant. Quod cum sine maximarum rerum usu uario, atque diuturno teneri non possit,

quis hac ista laude Sigismundo excellentior rex fuit? qui cum beneficio longissimæ ætatis, unum enim & octuagesimum annum agens decessit: tum etiã prudentia singulari, atque diuina, ad eam iustitiæ laudem peruenerat, ut in sua Repub. nihil earum rerum esset omniũ, e quibus discordiæ, seditiones, ac bella ciuilia existunt, quæ tum fiunt, cum uirtus exæquatur uitiõ: cum boni præmio, mali uero sua carerent pœna. denique cum nõ pro dignitate, ac meritis cuiusque, sed pro regnãtis libidine, alij plus, alij minus utuntur rebus communibus. Ex hac enim inæqualitate, ac intemperantiã quadam, oriuntur in Repub. morbi illi insanabiles, quasi in corpore sano, atque integro. hinc enim existunt discordiæ, seditiones, ac bella ciuilia, cum ipsarum legum, atque hominum interitu. Et merito quidem, quid enim in ea Repub. salus, aut diuturni futurum spes, ubi uitiũ præcurrit uirtuti, ubi algent boni, lætantur improbi, ubi dignitas cedit pecuniã, uirtus generi, ingenium fœcordiã, atque negligentiã? postremo ubi indignissimus quisque amatur, colitur, ornatur, ac ad amplissima quæque promouetur, summa cum desperatione bonorum? ruant necesse est in tali repub. ac intereant omnia, quamuis illa magna sint, atque præclara. Non agam pluribus Equites: neq; exemplis utar Græcorum, ac Latinorum, & ipsorum etiã barbarorum, qui respub. suas potentes, ac florentes amiserunt. dum in illis nullus habet uirtuti honos, nulla pœna uitiõ. Ex ipso enim Sigismundo omnium istarum rerum exempla sumi possunt. qui cum sapientia illa magna, atque incredibili inæqualitatem ipsam uideret pestem, ac perniciem esse ciuitatis, ad eum finem dirigebat omnia, ut neminem eius Reipub. cuius hic rex fuit pœniteret. qua cum æquabiliter illo rege uterentur omnes, non metuebat, ne qui uir bonus, atque fortis contemptus ab illo, ac neglectus, aut res nouas in regno moliretur: aut seditionem: bellumue ciuile spectaret. quod ibi necessario fit (ut iam diximus) ubi non æqualiter: neque iuste uiuitur. Quare ut remoueret a suo regno omnia hæc mala, atque incommoda, rempub. ipsam omnibus ex æquo utendam,

ac fruendam proposuerat. ita tamen ut ratione, & boni ad il-  
lam admissi: & mali inde pulsi esse uiderentur. Neque enim in  
Polonia improbitas, atque indignitas desperatione frangeba-  
tur unquam magis, quam Sigismundo rege, contra uero uirtus,  
probitas, atque dignitas hunc locum honoris, & gratiae apud  
Sigismundum habuit, ut cum genus ipsum illustre in claris ui-  
ris adamasset, tamen ipsa uirtute saepe posterius clarum duxit  
genus: gradumque ad honores amplissimos in sua Rep. uirtu-  
tem uolebat esse, non genus. Dabis mihi hoc loco hanc ue-  
niam Nicolae Vuolsci, ut tuo potissimum exemplo me uera  
dicere probem. cum enim Equestri ortus esse patre, Sigismun-  
doque, non generis neque opum, sed uirtutis commendatione  
esses cognitus, hunc tibi honorem ille habuit, ut te & gynae-  
cio clarissimae, atque pudicissimae huius reginae uxoris suae pre-  
ficeret: & ad te Sendomiriensem. Castellatum cum multis pro-  
uincijs deferret. Hoc ille diuino facto suo docuit, quam iustus  
rex esset, cum tantum tuae excellenti uirtuti fidei, ac integri-  
tati tribueret, ut quo genere ortus esses, quaerendum sibi non  
putaret. Quid uero tu Martine Sborovvski: parumne es tui  
expertus, quam iustus hic rex erga te fuerit: cum tuae spectatis-  
simae uirtutis durior aliquando conditio esset: cum enim uir-  
tute, constantia, ac magnitudine animi inuidiam, calumniamque  
superares, & salutem Reip. libertatemque communem tuae obli-  
tus maximo animo defenderes, tantum apud Sigismundum  
ad extremum dignitate ualuisse, ut tua nimia (ut quidam pu-  
tabant) in causa communi libertas, tibi ad hunc honoris, &  
dignitatis gradum non obstaret, quem nunc in Rep. tenes.  
quin uero etiam haec ista bona, & animi & ingenij tui, in Ca-  
lissien. hoc isto Castellatu tibi sunt apud Sigismundum suf-  
fragata. Sed quid ego hos commemoror: cum externi homi-  
nes ipsi, atque aliunde orti tantum apud illum uirtute ualerent,  
ut illis non in regno tantum ipso, sed etiam in Sigismundi  
senatu locus esset. Adest enim Seuerinus Bonerus, uir, Vuil-  
semburgo quidem profectus: ita tamen ob uirtutem, ingenium,  
industriamque Sigismundo regi probatus, ut nihil illi obsta-  
ret, ad honores huius regni, externum genus, cum enim fides,  
ac industria

*pro hincianij  
Rehep*

*Bonerus  
Wipemburgo  
profectus*

ac industria ipsius, in omnibus officijs, ac muneribus regni amplissimis fuisset cognita, illum Sigismundus, & salinatore rem fecit: & praefecturas madauit, ac in senatum introduxit. in quo ille maiestatem reipub. uestrae cum his seruaret, qui in hoc regno e uobis sunt orti. Et tamen apud Sigismundum caruit inuidia propterea Bonerus, quod alienigena esset, ac Germanus, non ciuis, neque Polonus, cum illo enim Sigismundus ob uirtutem ipsius praestantem, ac singularem communicauit hoc regnum, in quo nunc ille omnibus opibus fortuna, ingenij, ac dignitatis summa uestra uoluntate floret. Ad hunc modum Sigismundus praemijs in rep. propositis, optimi cuiusque uirtutem ad ipsam rempub. tuendam excitabat. Qua sane ratione tantum profecit, ut nullum tempus in hac repub. feracius fuerit uirtutum omnium. pro se enim quisque, tam pace, quam bello nitebatur, ut sub optimo rege, bonus ipse ciuis esset: & ne quis, amplissimis praemijs uirtuti propositis, ipse sibi ad laudem deesset. quare tanto studio ad uirtutem, & ad gloriam exarserat omnes, ut summi, medij, ac infirmi ad summa contenderent. testis enim hic est Ioannes Tarnouius, qui etsi genere clarissimo sit ortus, tamen ad res maximas, pro salute huius regni gerendas, honoribus amplissimis ab hoc rege inuitatus, tantum uirtute profecit, ut non solum nostros imperatores omnes, sed etiam illos ueteres externos Scipiones, Marios, ac Maximos bellica laude adaequaret. Quid uero hic Nicolaus Sienia uyski, Belsensis Palatinus: qui praemijs a Sigismundo excitatus, cum Alexandro, ac Procopio fratribus, sic rem militarem in Russia hoc rege administrabant, ut eorum opera Russia illa afflictata, ac anniuersario hoste pene deleta, requiescat nunc, ac nouis colonijs solitudines suas compleat, atque instauret: ita ut post hominum memoriam cultior Russia nuncque fuerit, quam est nunc Sienia uirorum, & aliorum fortium uirorum opera: quorum uirtute ad hanc rem Russia stetit. Quae cum assiduis hostibus esset exposita, fortissimorum uirorum praesidio eam Sigismundus muniendam sibi putabat: eiusque prouinciae magistratus, his potissimum mandabat, quorum animo, ac uirtute confi-

debat. ueluti nuper paulo ante, quam esset mortuus, Podolie  
Palatinatū ad Ioānem Mielecium detulit uirum fortem, ac  
genere, ingenio, opibusq; præstantem. Prætereo alios mul-  
tos fortes, ac claros uiros, quorum uirtutem Sigismūdu ad  
res maximas iustitia sua excitauit: beneficijs auxit, præmijs  
uero confirmauit. Est hæc diuina summi illius uiri, ac iustis-  
simi laus, qui cum amplissimo, ac copiosissimo regno potire-  
tur, illius omnes copias, atq; opes, nō suæ priuatæ libidinīs,  
neq; compēdij sui putauit esse, sed eius reipub. cuius rex fuit:  
quare quicquid positum erat, aut in honoribus reip. aut in  
uectigalibus ipsius regis, earum rerum omnium dispensato-  
rem ille se esse putabat, nō possessorem, neq; dominum. quo-  
etiam fiebat, ut hæc cōmunicaret omnia cum uiris fortibus,  
ac de reipub. benemeritis: ita ut cuiusq; dignitas, ac meritum  
postulabat. summas opes regum esse ratus copiam honorū  
uironum, atq; fortium. quorum uirtus ibi iaceret semper, ubi  
nullus ei haberetur honos. Quare cum Sigismundus gra-  
tus esset erga optimi cuiusq; uirtutem, cōmouit præmijs pro-  
positis studia hominum, non solum summorū, sed etiā me-  
diocrium, atq; infimorū. pro se enim quisq; hoc rege excelle-  
re in Polonia studebat, nemo erat qui aliquid nō afferret in  
mediū, quo regi suo operam, ac industriā probaret. Artifi-  
ces ipsi medijs fidius, ac omne genus mechanicum, commo-  
tis studijs, artes suas diligentius hoc rege coluerunt: cum ui-  
derent operas quoq; suas placere regi. itaq; tanta copia opi-  
morum opificum, atq; artificum hoc rege fuit, ut Phidias illi  
ueteres, atq; Policleti, et Apelles reuixisse in Polonia uiderē-  
tur: qui pingendi, fingendi, ac dolandi arte, illorum ueterum  
artificum gloriam adæquarent. quorum cum multa extēt in  
hoc regno opera pulchra, atque uisenda: tamen huius unius  
arcis opus uincit, ac superat omnia: quam ille præstantissimo-  
rum artificum opera a fundamentis extruxit, ac Cracouiam  
hoc isto præsidio muniuit, tanto sumptu, ac opere, ut nō ho-  
minum, sed deorū immortalium sedes arx ista esse uideatur.  
Quid uero Basilica huic templo adiūcta, paruū ne accessiōe  
sui, huic ædi Venceslai decorem, dignitatēq; attulit: in qua

& pictorū opere, & sculptorū ac fabrorū singularia & magnifica uisunt. quā Basilicā ille & religione summi Dei cōsecrauit, & omnibus ornamentis, ut uidetis illustrauit, corporiq; suo tabernaculū hanc esse uoluit: in qua illud, quasi quodam regio itinere defessum, nō minus longo, quā molesto, postremum requiesceret, ac supremam mundi diem expectaret.

Quanta hæc Sigismundi iustitia fuerit, quā potens, quā magna, quā clara apud Deum, quam nota, & probata apud homines: qui distribuēdis æqualiter præmijs, ac muneribus regni, in mutua pace ac beneuolentia suos tenuit: & ad uirtutem bonos uiros, cupiditate rerum optimarum incendit, ac in contrario genere hominū hoc ipso modo, firmabat rationes honorū. Nihil enim apud illum cōtemptius, nihil neglectius, nihil uilius improbis fuit. ut ex hac ista ratione, boni, præmia suæ uirtuti seruari a bono rege scirent, mali uero, nihil præter contemptum ferrent, atq; pœnam. ita ille honores omnes solis bonis, ac fortibus uiris debere se putabat. quibus cum improbis etiam communicatis, boni in officio dolore redderentur remissiores, improbi uero nihilo illis ipsis honoribus fierent meliores. Quare cum præmium, & pœnam æquabiliter dispartiret, seseque ipse sanctissime gereret, uirtutes præmijs, uitia contra pœnis affecit. Cuius rei celsimulta extent exempla, tamen haud scio an aliud sit clarius illo, & ad sciendam cum in re militari, tum in omni uita fidem accommodatius. Cum Raduankouium centurionem ob Ornetæ Prussico bello prodicionem, infamia publico iudicio notauit: militesque nostros huius calamitate, ac ignominia docuit, ut pugnare potius, quam fugere: mori, quam fallere uellent. Hisce artibus Sigismundus, cum suos ciues bene uiuere, ac iuste agere docuisset, facile illam quoque iustitiæ partem, quæ legibus traditur absoluit. Cuius hæc summa apud Sigismundum fuit, ut conuenienter in hac societate nostra uiueremus. ad hunc ille finem, omnes leges suas retulit, quibus pax inter nos, cum summa beneuolentia constaret. Quas leges, si inspicias, tanquam in aliquo speculo omnes sensus Sigismundi,

ac rationes expressas uidebis . nullam in his tyrannicam mentem , nullam utilitatem ipsius propriam reperies . uestræ libertatis Equites : uestræ dignitatis : uestræ maiestatis sunt illæ leges : quæ in Polonia solæ regnant : ac ex equo uobis , & Sigismundo regi uestro imperabant . Neq̃ enim solutus est rex legibus apud uos . Nō quod illi utile , id iustum uobis , Nō quod lubet , id illi licet . Romanæ seruitutis sunt ista carmina , quæ laudat nemo , nisi seruus sit , aut Italus : qui quidē ut certius seruiret , scholas etiā sibi ( si dñs placet ) condidit : doctoresq̃ legum fecit , a quibus nil nisi seruire disceret . qui doctores inq̃ legum harum istarū seruilium , transcensis Alpibus uenerunt etiā cum talibus præceptis ad uos : quos hic passim iam uagari uidetis , cū hoc isto dñs irato supercilio , ac pessimo libertatis uestræ exemplo : quos uos , id quod facitis contemnere debetis Equites : & tanquā contagionem quandā , hanc istam Neronianam scholam fugere : regnoq̃ uestro pellere . ne istæ immundæ pecudes , inficiant puros iustitiæ uestræ fontes , e quibus Sigismundus hauriebat leges uestras , quibus cōmuniter uobiscum uiueret . quarum legū ille lingua , non rex : interpretes , non auctor : patronus , non dominus fuit . quas etiā ferebat autore senatu uolentibus , ac iubentibus uobis . In qua sane ratione cū summa moderatio ne , atq̃ æquitate animi fuisset , omnes illos ueteres Solonas , Lycurgos , atq̃ Cretas legumlatores uicisse mihi uidetur . nā illi seorsim a populo leges ferebant : hic uero nullam absq̃ senatus auctoritate , ac scito uestro cōmuni legem tulit . illorum leges libidini populari , sæpe seruirebant : Sigismundi uero nulli rei seruiunt , nisi utilitati cōmuni , ac uestræ libertati . Illorū legum nimia licentia tyrānidem in ciuitatibus pariebat , nostra uero legum disciplina , nulli rei magis quā tyrannidi est aduersa . Quid ita ? quia apud leges nostras rerum , & criminum , nō personarum , neq̃ dignitatum ratio est . non quærebatur in Sigismundi iudicio Archiepiscopus ne , an Palatinus , Episcopus , an Castellanus , nobilis , an ignobilis , peregrinus , an ciuis reus esset . sed remota dignitate omni reorum ipsorum , de re ipsa iudicium fiebat : in quo nocentes pœna

legitima afficiebantur: innocētes uero ex lege absoluebātur. Iam, quāta ipsius Sigismūdi maiestas in iudicijs publicis fuerit: quæ animi æquitas: qui modus: recordamini Equites, & illam personam illius regis in iudicio prælidētis uobiscū cogitate: in qua expressa facies rei pub. uestræ cernebatur. statur erectus, ac celsus: lati, ac patentes humeri: facies rotunda, rubentes genæ, oculi grandes, ac stabiles. minax superciliū, nasus ipse grypus, ac aquilinus, summo rege dignus. ut non Casimiri regis, sed Iouis filius uideretur iudicio prælidere. sic omnia ad imperium erant in illo rege nata, uultus, intuitus, uox, latera, silentium postremo ipsum. In iudicio nunquā audiebatur nisi cum oportebat: minus etiam nōnunquā, quam oportebat. nutu plura, uerbis pauca conficiebat. tantaq; moderatione linguæ, ac continentia sermonis fuit, ut illius, in summo imperio, nemo unquā uerbum ullum asperius audierit. Quare cum tanta iustitiā, ac tanta moderatione in cōtrouersijs dijudicandis fuisset, æquos, placatosq; reos a se dimittebat: non solum eos, secundum quos iudicabat: sed etiam eos, quos contra staturabat. & cum gratiæ causa in iudicio nihil faceret, grata tamen essent omnia, quæ faciebat. ita seueritati illius, res maxime distans miscebatur comitas. sed ita tamen, ut neq; comitas, impediretur seueritate, neq; seueritas, comitate leuior fieret. Hac fama admirabili uirtutum incredibilium, cum solus ille rex, solus iustus, solus sapiens, non domi tantum, sed etiam foris uideretur, tanta ueneratione propter summam iustitiā apud omnes gētes fuit, ut iustitiæ illius fama impulsit Bohemi primum. deinde Hungari, Ludouico rege apud Mohacium a Turcis interfecto, huic ultro duo maxima regna offerrent, quæ ille tamen nō accepit cum reprehensione multorum, eorum præsertim, qui non perspicunt, ac multo etiam minus intelligunt, quantū ipsius regni sit opus. quod cum alta sapientiā Sigismūdus cognitum, perspectumq; haberet, regna illa remisit Hungaris, ac Bohemis. ipse Sarmatia contētus fuit. sufficere sibi hanc materiam ratus, in qua omnē uim ingenij, ac uirtutis suæ ostenderet: tanta fuit opinio ipsius excellētis iustitiæ apud omnes,

f

tanta etiam illius moderatio. Quid uero illud cum Ioannes,  
& Ferdinandus reges summis inimicitijs incensi arbitrum  
hunc de Hungariae regno ceperunt, parumne ex eo liquet,  
quanta existimatio ne hic rex apud omnes fuerit: quam san-  
ctissimam esse reges illi putabant: ita, ut arbitrio illius non  
solum regna ipsa, de quibus ambigebant, sed etiam digni-  
tatem suam regiam committerent, id iustissimum fore rati,  
quod a Sigismundo probatum, decretumque fuisset. Preterea  
alia infinita domi, & foris ipsius excellentis uirtutis, atque iu-  
stitiae documenta, quae ille uiuus constituit ad memoriam re-  
gni sui sempiternam. Et quoniam praecipua pars iustitiae est  
pietas ipsa, parumne hac quoque iustitiae parte excellit: cum  
religionem illam patriam, atque auitam, caeremonias item oes  
sanctissimas, tanta ueneratione coleret, ut nihil illis melius,  
nihil religiosius esset ne in monasterijs ipsis quidem. non in  
his, quae nunc sunt, sed in illis, quae olim fuerunt. fide enim  
in Deum erat summa, hominem peccatorem se confitebatur  
esse palam, nusquam spem ueniae, nisi in solo Christo habe-  
bat. benignus in omnes, pius, clemens, ac munificus fuit. In  
Ecclesia uero, ne quid nouaretur, neue ipsius religionis ulli  
in re fieret commutatio, tanto studio curauit, ut in minimis  
etiam rebus, quae uix censeras, diligentissimus fuerit. Vos hoc  
loco appello sanctissimi sacerdotes, qui caelesti nunc pro illo  
sacrificium facitis. ecquis uestrum diligentior omnibus reli-  
gionibus, atque caeremonijs conseruandis hoc rege fuit: quo-  
ties ille uos admonuit, si quid a uobis non rite factum: aut si  
quid de statuto sacrificio fuerat a uobis praetermissum: can-  
delam ipsam caream, mediusfidius, ut maiora praetermittam,  
non suo loco stantem, aduertebat: aut si ea sacro deesset, uos  
admonebat. neque uero id ille faciebat curiosus in uestro mu-  
nere, sed quod minimis hisce rebus, aut sublati, aut inter-  
missis, religionem ipsam intermitteri, ac sensim tolli putabat.  
de qua ne ulla diminutio fieret non solum praemijs, sed etiam  
poenis in seditiosos editis prouidit. Gedaneum enim ciues res  
nouas, atque perniciosas, non in rebus tantum, sed etiam in  
religione molientes supplicio affecit. summa tamen mode-

20

ratione, ac aequitate. paucorum enim poena contentus fuit, ad salutem reliquorum. ita ille cum fundamentum omnis rei pub. religionem ipsam sciret esse, & cum sibi multorum exemplis, ac litteris suaderet, mutata religione, mutari regna, summa religione ipse fuit, & ut ceteri quoque essent curavit. Ad quam colendam, ac retinendam, ut expeditior ipse esset, multis exercitationibus se comparabat. summa enim abstinentia ieiunabat, dies festos celebrabat: nunquam publice quicquam agebat, priusquam sacrificasset, sacroque interfuisset, Verbum Dei diligenter in concionibus audiebat: ac iuxta illud vivebat. sobrius in omni uita rex fuit, nunquam ebrius est uisus, nunquam uino, aut amore insolens, ac intemperans. ad hunc modum ille, cum summa moderatione uictus, fuisset paratus semper erat ad regium illud opus, atque munus. in quo exercendo carebat furore illo, qui ex intemperantia cibi, atque uini ducitur. quo remoto summa fuit humanitate, ac incredibili religione ad ultimum usque spiritum. ita, ut etiam animam ipsam agens, hunc istum Vitum monachum de Dominici familia, sacrificantem diligenter audiret, ad singula uerba passionis Christi Dei nostri, suspirando, ingemiscendo, ac flebiliter precando, quo Deus ipse peccatorum ipsius immemor, beneficio autem Christi in illum, & in omnes memor, clemens, ac propitius illum ad illas beatorum sedes reciperet, ad quas Iesus Christus dominus, & Deus noster ante illum precefferat. O fidem ueram, & dignam cur isti ignes luceant, qui quidem signa sunt, atque notae illius ignis intimi, quo fides ipsius ardebat in Deum: charitas autem ipsa sese effundebat in proximum. hoc ergo isto diuino igne, atque recondito, semel in baptismo suscepto, cum ille arderet in omni uita, nullaque perfidia illum uiolaret, recte haec ista lumina, atque ignes, incensaque faces praeferruntur nunc illi mortuo, quod fidem Deo seruarit integram: charitatem autem proximo ad ultimum spiritum. quem cum iam reddiderit Deo, ex hac turba, & colluione, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo, in illud animorum concilium, coetumque profectus est: ubi nunc cum fidei

immort

Abraham, Isaac, atq; Jacob accumbit: colloquitur cum Da-  
uid, uiuit cum Iosia iustissimo, atq; religiosissimo rege: auos  
suos, fratres, ac parentes, reges uelros recognoscit. Hunc to-  
tum iam complectitur cœlum: hunc obujs vnus excipiunt  
omnes beatorum animæ: ac illius conspectu latantur: ab  
Aquilonisq; partibus aduenisse gaudent regē, iustitia, ac pie-  
tate insignem, socium felicitatis suę, atq; immortalitatis par-  
ticipē. quo nemo uir melior apud nos natus est: nemo pieta-  
te præstantior: Nunc ille uos ex alto intuens Equites a Deo  
Opt. Max. precat, ut uos felices, ac saluos uelit esse, uestrūq;  
hoc regnum conseruet, quod ille summa sapientia, ac lingu-  
lari iustitia uiuus rexit, ac omnibus legibus, præsidijq; orna-  
uit, atq; instruxit, summaq; in illo tuendo, conseruandoq; ani-  
mi magnitudine, fortitudineq; fuit. De qua ego breuiter di-  
cam, fuit enim hoc tertium, quod in summo rege inesse oportere diximus. Neq; enim satis est sapientem, ac iustum domi  
esse regem, nisi etiam is regnum saluum præstet, & ab omni  
externa ui defendat, qualem utiq; Sigismundum fuisse constat. Qui quo die rex a uobis est factus, motus domestici illū,  
deinde externi cum maximo nouarum rerum metu exceperunt. Recordamini enim Equites, qui motus ille in Lituania,  
qui timor fuerit: cum Michael Gliniski homo eius gentis potentissimus, atq; seditiosissimus, mortuo Alexandro rege,  
principatū Lituaniæ peteret, ad quā illi rem cum & animus nō deesset, & copia, tamen is Sigismundi primum nomine,  
deinde cōspectu fractus, debilitatusq; arma posuit: pacemq;  
supplex petijt: ac postremo in illius fide fuit. mansisset autem  
utinam in sentētia, nunq; tantis cladibus, tantoq; hominum  
interitū Lituaniā cū Moschouia commisisset. Cum enim  
Michael Gliniski moliri multa occulte in Lituania nunquā  
desisset, a Ioanneq; Zabresinskio marscalco Lituaniæ, appe-  
titi principatus reus fieret, non cogitabat quomodo se regi  
purgaret, de quo arguebatur: sed quomodo accusatorē suū,  
primo quoq; tempore e uita tolleret. itaq; oblitus clementiæ  
regiæ, quā primo statim Sigismundi in Lituaniā aduentu,  
incredibilem erat expertus; iustitiæ etiam huius istius regis  
immemor

immemor, in qua etiam nocenti per fugium esse poterat, nullaque ratione harum rerum omnium habita, multa nocte Iohannem Zabreſſinſkium aggreditur, & quiſcentem iam, ac nihil tale cogitantem inualit, ac domi ſuæ hominem nobiliſſimum occidit. Magnum crimen, ſcelus ingens, uis non ferenda, cuius ille magnitudine perterritus, ut ſcelus ſcelere cumularet, ad Baſilium Moſchum profugit, illumque ad inferendum bellum patriæ ſollicitare cepit, facileque ſua ſponte ad id iam parato Baſilio perſuaſit, ut cum Maximiliano Ceſare ſœdus faceret: ab eoque futuri belli ſubſidium contra Sigifmundum peteret. nihil propius eſt factum, quam ut Maximilianus immemor, tum nominis, ac generis ſui omnibus ſuis copijs ad inferendum bellum Sigifmundo Baſilium iuuarer. quod tanto apparatu rerum omnium a Baſilio erat geſtum, ut neque maiori contentione, neque maioribus copijs inter Lituanos, & Moſchos unquam certatum fuiſſet. Hic Sigifmundus, etſi eodem tempore alijs quoque bellis Scythicis, Vualachicis, atque Turcicis diſtrictus eſſet, tanta tamen animi magnitudine in bello Moſchico ſuſcipiendo fuit, ut nullum aliud bellum gerere uideretur. non terruit illum Maximiliani Ceſaris inſperatum cum Moſcho ſœdus, non copiarum ab illo ſuppeditatarum gerendi belli, non ipſius Baſilij exercitus ante hanc diem inuictus: incredibili enim celeritate exercitu ex Lituania collecto, militibus etiam ex Polonia accerſitis, magno animo aduerſus hoſtem contendit, ac Boriftene amne ſuperato, cum hoſte acerrime conſiſit, quem memorabili pugna deuicit, non in præſens tantum, ſed etiam in poſterum: nam eo prælio uidentur omnes uires concidiſſe Moſchorum, quæ antehac graues Lituaniarum, ac inuictarum uidebantur eſſe, & quæ ante illam cladem tantarum fuerunt, ut Moſchi præ ſe ceteros mortales omnes contemnerent. Quibus deuictis tanta gratulatio omnium eſt ſubſecuta, ut etiam Romæ a Leone Decimo ſupplicatio Sigifmundi nomine decerneretur, ſingulari genere uerborum, & numero dierum. cum enim in Leonis ſenatu Nicolaus Vuolſki legatus hic Sendomiriënſis Caſtellanus expoſuiſſet, & genus hoſtium, & uictoriarum modum,

res digna patribus illis est uisa, publica ipsius urbis Romæ gratulatione, ac supplicatione singulari. supplicatum itaque fuit: tota q̄ urbe dies festi, atq̄ ludi eius uictoria nomine fuerant instituti, dolente, ac moerente Maximiliano Cæsare: qui captiuos etiam ipsos, per hūc istum Nicolaum Vuolski Leoni missos, intercepti: in Moschouia m̄q̄ contra ius gentium remisit, his uictorijs, atq̄ triumphis inītia regni sui Sigismundus consecrauit, docuitq̄ se eum regem esse, qui et domi regnum legibus tenere, & foris armis tueri posset. Neque uero hoc bello tantum illius animi uis exiit incredibilis, sed multis etiam alijs bellis grauib, ac difficilibus. nam cum uix a Moschico bello respirasset, Scythiam magnis copijs, Russiam prouinciam ferro, atq̄ igne uastantem, incredibili uirtute ad Vuolsio uicium superauit: illaq̄ pugna, primus regum omnium, Scythas docuit, pacem bello meliorē esse. Quid autem Vualachia ipsa, Turcicis exercitibus contra Sigismundum manita, atque instructa, cum huic regno periculossime immineret, nonne ad Obertinum postremo ab hoc rege deuicta, pœnas temeritatis suæ dedit, uestroq̄ imperio, hoc isto Ioanne Tarnouio duce parere est coacta. Iam uero Moschouia, cum iterum fractas illas uires suas, ac desperatas repeteret, bellumq̄ maximum pararet, non ab hoc Sigismūdo iterum deuicta bello maximo, funditus corruit: ad quod bellum gerendum Sigismundus, hunc istum Tarnouium imperatorem, ad conseruandum hoc regnum natū, miserat: qui capto, atq̄ euerso Starodobo, ingēti hominum strage Moschos in perpetuum deuicisse iam uidetur. Præterea alia bella uaria, atque infinita, quæ Sigismundus gessit non libidine regnandi, neq̄ studio gloriæ incensus, sed amore religionis Christianæ conseruandæ: cum enim Poloniæ regnum Aquilonem uersus ultimum sit regnorum omnium, gēteis finitimas habet inimicissimas partim Christiano, partim uero Romano nomine. Quare Sigismundus cum his assidue bellum gessit, non ut finitimarum rerum potiretur, sed ut religionem Christianam contra Scythas, atque Turcas: Romanæ uero sedis nomen, contra Moschos, atque

Vualachos tueretur: quod hæ gentes huic sedî, hoc isto dis-  
sidio Græcorum cum latinis, sint omnium inimicissimæ. So-  
lus ergo Christianorum regum omnium Sigismundus, non  
pro augendo, sed pro retinendo regno: non pro sua libidi-  
ne, sed pro Christiana religione bellum cum tota Asia gessit.  
Cuius Asiæ opes cum magnis, ac insperatis uictorijs cresce-  
re in dies uideret, seq; præ cæteris periculis illis proximum  
esse sciret: Christianos autem principes mutuis bellis disside-  
re uideret, prouidendum sibi, regnoq; suo putauit. Quapro-  
pter summa ope est conatus Christianos principes in mutuâ  
gratiam reducere, illorum concordia, ac conspiratione suas  
opes, atq; rationes contra Turcarû tyrânû firmare: ut minus  
potēs, minusq; formidabilis tyrânus ille uobis esset. quapro-  
pter & Maximilianum Cæsarem reconciliata iam gratia  
Viennam adierat, cuius etiam hortatu Wladislaus frater  
Hungariæ rex, cum Ludouico filio, eò quoq; uenerat. quo  
in conuentu summorum regum, ille ostēdit, docuit, monuit,  
Turcarum opes tantas esse, ut ab uno Christiano rege supe-  
rari non possint, in concordia, ac mutua pace spem esse, sine  
qua nihil esset Christianis salui. itaque Sigismundo autore,  
atq; duce facta erant Viennæ fundamenta communis auxi-  
lij, quæ tamen forte quadam, rebus nostris aduersa, non diu  
manserunt. Nam & Maximilianus, & Wladislaus uita fun-  
cti, ambo spem Sigismundi fefellerunt. Non cessauit tamen  
Sigismundus agere, & facere omnia quo potentia Turca-  
rum occurreret, quare auxilia undique contrahebat: cum fi-  
nitimis fœdus & amicitias iungebat. neq; uero his solis con-  
tentus fuit, sed etiam cum sciret Neapolim, atque omnem  
illam oram Apuliæ, societate Turcici belli cum Polonia  
coniungi, amicitiam Italiæ expetiuit: hancque Bonam re-  
ginam ex Sfortia familia, clarissima, atque totius Italiæ  
nobilissima, ducem Bari in matrimonium accepit. ut hoc  
ceu quodam illustri, ac sancto pignore, socium se belli,  
ac periculorum omnium Italis profiteretur esse. uerum  
cum hac ista spe finitimorum, ac externorum auxilio-  
rum frustra penderet, solusque sæpius cum summo rerum

suarum discrimine cum Turcarum ducibus confli-  
geret, de regnoque suo iam plane dimicaret, foedus ad extremum  
cum Solimanno fecit. Quid uero illi aliud faciendum fuit?  
solus erat, opem ferebat nemo, spes ipsa restabat nusquam.  
regnum porro suum uidebat omnibus Turcicis bellis, ac pe-  
riculis esse propositum. quid tandem quaeso est quod quis  
Sigismundum huius istius foederis nomine reprehendat?  
cum uideat unum e duobus illi fuisse necesse, ut aut regnum  
suum in postremum discrimen adduceret, aut foedus cum Tur-  
ca faceret, quod tamen ille non foedus potius, quam inducias  
sibi putabat datas esse, parandi belli, nouerat enim ille a Tur-  
carum tyranno, non fide, neque religione, sed occasione, atque  
tempore, foedera ponderari. Quare, & si ille foedus illud san-  
ctissimum esse ducebat: tamen, quod nihil huic hosti crede-  
ret, inter foedus illud rationes suas summo studio futuro bel-  
lo parabat, ut si quando illi necessario cum Turca belligeran-  
dum esset, ut eo paratior, instructiorque in aciem contra illum  
prodiret, meminerat sapius se conflixisse cum hoste summo  
cum periculo, Ludouicum etiam regem nepotem ex fratre  
suum, uiderat uitam, & regnum profudisse, cum incertorum  
auxiliorum spe, bellum Turcicum mallet, quam foedus. cuius  
consilia nunc probabat Sigismundus, summoque studio  
a bello illum reuocabat, ostentabat illi Rhodum, atque Coo  
nobilissimas insulas consimili spe periisse, docebat Carolum  
Caesarem impeditum esse bello Gallico, atque Italico, Ferdi-  
nandum autem rusticano: Germaniam etiam totam, religio-  
nis controuersia dissidentem commemorabat, nusquam spe  
superesse, praestare foedus facere, quam bellum incertum ge-  
rere: cuius fidelissimis consilijs cum Ludouicus non obedi-  
ret, uitam simul cum regno amisit. Qua in re Sigismundus,  
quam sapiens rex, atque fortis fuerit ostendit: qui rempub.  
tanquam in alto nauim pro ratione tempestatum, & locorum,  
& temporum dirigendam esse ducebat, ut quid tempus rei-  
pub. poscat, aut quid uetet, in primis sapienti regi sit prou-  
dendum. Interea tamen Sigismundus quoad uixit, cum bel-  
lis mutuis Christianorum arderent res, ille non quieuit, sed

assiduis bellis, pacem regno suo quaesivit. nunquam quens  
bello lacesiuit, nunquam nisi lacesitus bellum gessit. propte-  
rea etiam (credo) uictor semper extitit, singularisque illa huic  
uni concessa erat gloria, quod hic solus regum omnium in Po-  
lonia nunquam uictus fuit. Nisi forte quis illam acceptam ca-  
lamitatem apud Socalium bello Scythico huic adnumeret:  
quae temeritate ducum, absente rege, bello commisso a Scy-  
this accepta fuit, quam tamen calamitatem, ille postea infini-  
ta hostium caede compensauit. Sic ille cum nihil temere, ni-  
hil abiecit, neque demisse, sed summo consilio, magno, & inui-  
cto animo cuncta gereret, facile fuit inuictus. res etiam no-  
stras cum armis uix possit, foedere a Solimanno uindicauit,  
quas ille, aut perpetua pace cum hoc hoste sanciuit: aut, si bel-  
ligerandum nobis erit, paratiores, instructioresque aduersus  
Turcarum opes reddidit.

Reliquum est ut de clementia ipsius pauca dicamus, sine qua,  
& sapientia nihil prodest regibus, & iustitia etiam obest, &  
fortitudo ipsa nocentior sit suis, quam alienis nisi ipsius cle-  
mentiae moderatione temperetur. Haec enim ferocem animum  
regis, ferum, & indomitum contra regni hostes, emollit suis,  
mansuetumque ac benignum reddit. ut hac ista uirtute rex ho-  
stem, ab amico, peregrinum, a ciue, innocentem, a reo secernat:  
reis etiam ipsis fragilitatis, ac imprudentiae in hac eadem uir-  
tute apud regem perfugium est. haec ista uirtus in consiliis, in  
iudiciis, in bellis regum uersetur necesse est, si reges non tyrā-  
ni illi uolunt perhiberi. hic enim regiae celsitudinis ornatus  
est: haec illorum commendationis est summa, haec sola, atque  
unica ad immortalitatem illis restat uia. denique ex hac ista  
excellenti, & plane regia uirtute nascitur suauissima regum  
ipsorum memoria: gratumque, ac iucundum illorum uersatur  
apud suos desiderium. Vnde enim sunt uestrae istae lachry-  
mae? unde haec est misericordia, quam nunc uos praestatis  
mortuo? unde haec est blandita credo, haec sunt a uobis spe ulla commo-  
dorum uestrorum, & non potius expressa uestigia moeroris.  
uestri recordatione illius optimi atque clementissimi uiri? qui  
benignus in bonos, mitis in reos, indulgens in omnes fuit.

nunquam ille arrisit uitio, nunquam detraxit uirtuti, nunquam blandiens parti sededit alicui, sed cum rem ipsam sequeretur, hoc unum propositum illi fuit, ne qua in re aberraret a uero. tanta æquitate, ac clementia, ut rerum ipsarum, ac criminum magnitudinem, cum reorum infirmitate conferret. uirtutem etiam ipsam, atque innocentiam ne approbatione insolesceret, aut dissimulatione, aut leui reprehensione temperabat. iam uero ipsas partis magnis saepe odijs incensas, summa grauitate, ac æquabili erga utraq; uoluntate audiebat. possem hoc loco magnas inimicitias clarissimorum uirorum commemorare ex reipub. causa susceptas, nisi & uos meminisse scirem, & ipse præterire hanc istam ignominiam uellem. ne commemorando notare uidear autores ipsos. dabo hoc ergo illorum auctoritati: ab hisq; uobiscum una partem, ut communis salutis causa remittant animos, æquosq; ac placatos retineant huius istius exemplo regis: qui cum rex esset, possetque delinquentem cohercere, æquus tamen utriq; fuit, monereq; ac hortari, interdum etiam rogare ad pacem suos maluit, quam lege, ui aut minis impellere. Ferebat enim æquo animo omnes, in liberaq; reipub. non solum animum, sed etiam odium liberum esse debere duxit. hanc libertatem ille liberorum populorum cum summam esse sciret, ut uidelicet, & amoris, & odij par sit apud ciues ratio, ipse quoq; odia multorum in reipub. pertulit. si tamẽ odium est dicenda libera ex postulatio subditi cum rege. cum enim benignitas ipsius, atq; clementia nimia quibusdam, aut etiam nonnullis in rebus remissior uideretur, reprehendi se palam in senatu patiebatur: sententias in se dictas patieter ferebat, et eas æquissimo animo refellebat, aut illis cedebat, & secundũ illas, quod admittebat, corrigebat. iam uero in comitijs ipsis, nullius regis in Polonia aures uobis, ac uestris legatis benignius unquam patebant. attente perorantes uestros legatos audiebat: postulata uestra clementer accipiebat, stultitiã multorum saepe, ac intemperantiã perferebat. nunquam ille aspero uerbo, aut immodestius misso excãdui, nunquam iracundiã exiluit. quã ille cũ omnibus uirtutibus cõtinentiã, grauitatis, iusti-

tiæ, ac humanitatis a se remouisset, facilis in rebus cognoscē-  
dis, in hominibus audiendis, admittendisq; fuit. Quanto, n.  
motu, quanta contentione illa ad Leopolum Valachico bel-  
lo pro uestra libertate cum hoc rege egistis; cum quædam  
non legitime fieri, quædam etiam negligi ab illo uobis ui-  
derentur. quæ tum grauitas, quæ animi æquitas, qui modus,  
quæ patientia huius regis, quæ uestra libertas actionis tum  
fuit; Et tamen cum iuste fortasse nonnullis irasci posset, ne-  
minem uestrum ne asperiori quidem uerbo propterea appel-  
lauit, ita, ut etiam illius ipsius actionis autores, atq; duces ma-  
ximis affecerit propterea p̄miss. ueluti hos duos fortissimos,  
ac coniunctissimos fratres Petrum, ac Martinū Zborouios,  
quorum in rep. singularē fidem, obseruantiam uero erga se  
summam cum esset expertus, utrunq; honore senatorio affe-  
cit. Quorum exemplo ille ad tuendā rempub. causamq; cō-  
munem agendā multos fortes uiros, ac industrios ex ordine  
uestro excitauit. ueluti hos duos summa spe, ac uirtute in cau-  
sa cōmuni cognitos, Petrum Boratinki Rutenum, & hunc  
Stanislaū Podlodouyski ex Sendomiriēn. municipio Equi-  
tem. qui cum in cōmitijs nuper Piotrkouia habitis, quæ po-  
strema Sigismundo fuerunt, grauiorem causam reip. susce-  
pissent, quam ut utriusq; atas pati uideretur, sicutamen a Si-  
gismundo auditi sunt, ut etiam Stanislaum Podlodouyski  
de libertate uestra liberius differentem, lachrymans audiret.  
et cum hic, Sigismundum in Polonia non imperatorē, sed re-  
gē esse diceret, legibusq; illum certis regnare oportere, sum-  
ma cum libertate oratiōis differeret, annuit ille, ipsoq; uultu  
ac intuitu significauit, se quoq; non imperatorem uelle esse  
sed regem, Quirum omnium litteris, sermonibus, ac moni-  
mentis celebrandum, & dignum, qui non dico homines, sed  
deos ipsos regeret. non illius tum maiestas, auertit illi a di-  
cente Podlodouio oculos: non aures illi clausit regia po-  
testatis conscientia, immo uero uidit, audiuit, ac sum-  
mo studio audienda sibi ea putauit, quæ libere de repu-  
blica a Podlodouio dicebantur. Dixisses hæc in Nero-  
nis senatu PODLODOVIS aut alicuius regis Itali, aures

hac ista libertatis uoce appetisses. postremū illo in loco (mihi crede) constitisses, ac ultima uox tibi illa fuisset. quæ tamē ipsa grata Sigismundo fuit, iucunda nobis, gloriosa uero nunc est ipsi tibi.

Summa hæc est clementiæ laus Equites Sigismundi regis, et haud scio an omnium maxima, in libera rep. liberas uelle uerfari hominum uoces, liberas sententiās, denique, liberas expostulationes, monitiones, ac reprehensiones ferre. quæ, qui rex non fert, aut in rep. non probat, non rex, sed immanis est tyrānus, qui ut homines liberos in ciuitate non fert, ita neq; linguas liberas ferre potest. Nec iniuria, tyrannus enim ipse uiuit cum omnium inuidiā, iniuste, ac impie, sine fide, sine amore, sine ullo beneuolentiæ uinculo, ut merito fidat nulli, credat nemini, nulli religioni, nulli legi pareat. At Sigismundus contra, omnium, qui unquam fuerunt, rex mitissimus, atq; clementissimus, cum meminisset liberi populi regem se esse, certa religione, ac certa fide regnantem uobiscum, non ut cum seruis, sed cum liberis, non cum subditis, sed cum socijs, atq; amicis, summa beneuolentiā in hac repub. uiuendū sibi esse duxit. ut ex æquo & audiret suos, & audiretur a suis. Quare, ita ille nobiscum uixit, ut non tantum aures illius, sed ipsius etiā uitæ priuatæ recessus nobis paterent. Aperta stabant illius cubicula, patebant atria, peruia erant nobis illius penetralia. nuncq; excludebatur, nisi cum erat necesse. admittebatur, astabamus, audiebatur, liberæ querimonie de aliorum iniurijs apud eum nobis erant, ac qualibet de re facilis aditus, ac pene assiduus cum illo conuictus nobis fuit. ut non solum mens, sed oculi etiā nostri libere in uita, ac in omnibus cubiculis ipsius uersarentur, in quibus nullos mores tyrannicos, nullas contra libertatem nostram machinationes, nullum regni dedecus, nullam turpitudinem, nullam deniq; intemperantiam cernebamus. omnia erant in illius integerrima uita, honesta: in cubiculis uero, decora, ac cum summa regia dignitate, atque uestra libertate cōiuncta. Iam uero quoties progrediebatur e thalamo, in publicumq; se, ac in turbā dabat, quanta tū dñj immortales oris illius dignitas, quæ

25

quæ maiestas, qui hominis illius habitus, qui incessus, qui comitatus fuit: quam aptus, quam concinnus, quam grauis, quam cultus, quâque summo rege dignus. Quibus rebus cum in animos hominum influeret, ac mentes omnium hac tanta maiestate occuparet, non timuit uenena, non insidias, non conspirationes ullas uerebatur. propterea etiam carebat prægustatoribus. quibus tamen ipsis interdum ad speciem utebatur magis, quam ad aliquam necessitatem. Senatorum turmis, ac Equitum incedentis latus claudebatur, nondori phoris hisce, neque seruis mercenarijs. indignum enim bono rege putabat esse, metum in suo regno præ se ferri armis, ac in coetu suorum hostem uereri, ac propterea ab armatis seruari. Tyrannorum sunt ista præsidia Equites, & cogitantium hominum de rebus communibus. fide Sigismundus, ac beneuolentia uestra satis se munitum putabat esse. neminem etiam e suis metuebat, cum æqualiter omnes diligeret, omnibusque ex æquo se amabilem præberet. tantumque hac ista fiducia uestri profecit, ut quiete primum, ac tranquille uitam uobiscum degeret, deinde studijs uestris, incredibiles huic regno foelicitates, atque opes afferret. Quam enim fide, ac uoluntate erga hunc regem uos fueritis, testantur multa, atque præclara facinora huic regi uirtute uestra parta, qui cum talem se regem gereret in omni officio suo, ac munere, ut ad summam nihil a uobis in eo desyderaretur: merito tales uos quoque erga illum gessistis, ut ob summa, atque amplissima illius in uos ac remp. uestrâ beneficia, PATREM patriæ una uoce hunc appellaretis, qui honos post conditam Poloniam huic soli a uobis est habitus. Et cum eum quem natura mortalem genuerat, uos immortalem esse cuperetis, hunc Sigismundum Augustum filium, pignus esse uoluitis fidei, ac uoluntatis uestræ erga Sigismundum sempiternum. nam cum hic Augustus admodum puer esset, soloque illo omnes patris spes niterentur, & cum id uobis per leges liberum esset, hunc uos honorem patri habuistis, ut hunc filium ipsius, tum autem puerum, nec dum ad imperium ætate maturum, magna tamen spe præditum, regem uiuo patre omnibus uestris suffragijs

salutaretis, hancq; incredibilem uoluptatem patri de filio da-  
retis, ut is uestro beneficio filium successorem sibi paratum  
uideret, cui nomen Iagellanae gentis, ac familiae amplissimae  
dignitatem, regnumq; patriū, atq; auitum traderet. Magna  
haec uestra erga Sigismundū uoluntas, summum etiam stu-  
dium uestrum fuit. Hanc mentem ut retineatis, mortuoq; illi  
conseruetis, uestrae fidei, uestrae constantiae est Equites, tum  
uero, ut parem animi uoluntatem retineatis in ipsius proge-  
niem totam, quā reliquit, uos ille orat, atq; obtestatur. Aspi-  
cite Equites hanc lugubrem turbā, hanc fletu deformata cor-  
pora. Hic filius ipsius charissimus, rex uester est. haec uero il-  
lius est fidissima, ac sanctissima coniunx: illae autem moestae  
accolentes tres filiae. hunc coetum, atque hanc sobolem cla-  
rissimam regis uestri colite Equites, ac summa ueneratione  
summaq; obseruantia habeatis.

Tu etiam Sigismunde Auguste suscipe hunc ordinem, cuius  
uirtute pater tuus fuit inuictus. uides in qua pericula regnū  
tuum incidit. quos hostes habeas, quos etiam metuas confy-  
dera, circumstant te undiq; pericula: auxilijs destitutos nos ui-  
des esse, nusquam in finitimis, nusq; in alienis praesidijs spes  
esse, undiq; circumfusa premit te Asia: hinc ex Hungaria im-  
minet tibi Turcia, hinc Valachia, hinc Scythia, hinc bellum  
renouat Moschouia. Germania postremo ipsa referta gene-  
re, ac sanguine tuo, non satis tuta tibi denunciat: uides quam  
in medio relictus sis solus, ut secundum Deum, spes tibi nus-  
quam restet, nisi in hoc ordine, ac in paterno imitationis exē-  
plo, quod si tibi proposueris, & si dies, atq; noctes in eo reco-  
gnoscendo fueris, inuenies profecto, quo modo haec quae tibi  
amplissima pater reliquit, conserues. nihil enim tibi poterit  
accidere noui, quod in regnando pater tuus non uiderit, aut  
non fuerit expertus. tu modo sapientiae ipsius ingrediare ue-  
stigijs, ad exēplumq; paternum mentē tuam in rebus opti-  
mis exerce, senatui pareas, iustitiam colas, & quos omnibus,  
addictus nulli fias. religionem Christi comiter conserues, rē  
militarē augeas, benignus in omnes, pius, ac clemēs in tuos  
fias, & breuiter iisdem itineribus ad uirtutem eas, quibus pa-

ter tuus peruenit. sustines eius rei non mediocrē spem, est in  
te præstans utroq; genere natura, est etiam, quod adolescen-  
tia tua fert, usus rerum magnarū. omnium ora, atque oculos  
uides esse in te unū conuersos. cum te intuemur, tum de Si-  
gismundo patre tuo, tum de maioribus cogitamus. Veniūt  
enim nobis in mentē, ueniūt, te intuētibus lagellones illi ue-  
teres: Vuladislai itē, Calimiri, atq; patruī tui clari uiri. quo-  
rum uirtute, dignitate atq; existimatione apud omnes gen-  
tes fuimus illustres. Qui, si quis mortuis sensus est, memoriā  
nominis sui, dignitatem huius regni, ac omnium nostrum sa-  
lutem tibi cōmendant, a te petūt, ut suscipias causam nostrā,  
utq; hanc remp. & pro illorum dignitate, & pro tua gloria,  
ac pro nostra salute administres. Idem moriens tibi mandat  
pater, atq; hoc in loco iacens a te postulat. Adest enim profe-  
cto, adest illa uis hic corā, qua hoc mortale uigebat corpus,  
& quæ hoc isto corpore ad nostrā salutem usa est. hæc inquā  
uis diuina, atq; immortalis patris tui, hic coram astans, te in-  
tuetur: tuam fidem implorat, hæc abs te petit, ut ea omnia,  
quæ in templis, quæ in foro, quæ in regno hinc decedens re-  
liquit tibi pater, uirtute, fide, atq; constantia tua conserues,  
ac defendas. utq; memor sis te Poloniæ regē esse, in tua per-  
sona huius reip. faciem expressam esse, utq; ob id non publi-  
ca tantum, sed etiā tua priuata (si tamen quid tui priuati hoc  
in regno est) ut ea inquā omnia ad summam, ac amplissi-  
mam regiam dignitatem tuam referas. quod si tu qua in re  
titubaueris, aut ab officio tuo deflexeris, cadet hoc regnum,  
stare diu non poterit, tua enim sapientia illud nitatur, tua iu-  
stitia stet, tua uirtute defendatur, deniq; tua clemētia floreat  
necesse est. Hoc magnopere abs te flagitat pater hoc nos spe-  
ramus, hocq; debitum munus abs te expectamus.

Vos etiam patres conscripti, quos diuina fors quædam  
huic regi fecit superstites: manete in hac custodia reipub-  
licæ, in qua uos ille uiuus collocauit, uigilate, multæ  
sunt insidiæ nobis, multæ inimicitia, hostes infiniti, pe-  
ricula uero tanta, quanta post conditum hoc regnum,  
non fuerunt. nusquam salutis spes ostenditur, nisi in uestra

concordia, erigite uos per deos immortales, ac odia, si qua  
uobis insunt, reipub. causa ponite: ut commune officium  
senatorium, communi animo, ac uoluntate defendatis.  
Quid enim salui in hoc regno fore putabitis distracto in  
partes senatu, uariatis uestris sententijs, Equitibus postre-  
mo ipsis uestris inimicitijs diuisis, atq; incēsis: lam uero me-  
tus externi hostis, ac imminētis periculi uos in mutua pace,  
atq; beneuolentia contineat. quæ res semper apud optimos,  
ac præstantissimos ciues plurimum potuit, ut quo die magi-  
stratum inirent, eodem in gratiam redirent. turpe sibi fore ra-  
ti, cum in rep. eadem societate coniungerentur, non eadem  
eos fide coniungi: quæ ibi esse nequit ubi concordia est nul-  
la. Fecerunt hoc illi ueteres sine Deo homines Græci, Sci-  
piones, Lepidi, Metelli: uos qui certo, ac uero Deo uiuatis,  
non facietis? præfertim cum finem legis uestre charitatem  
sciatis esse. quam si ex ordine uestro tollitis, & rep. amitte-  
tis, & uos ipsi peribitis. non est enim quod quis speret rectis  
consilijs ibi locum esse, ubi charitas est nulla, & ubi in locum  
huius, successit odium et iracūdia. ira enim uiri Apostolo te-  
ste, iustitiam Dei non operatur: quid dicam odium ipsum?  
quod cum inueterauerit, animi lumen extinguit, densa scq;  
menti tenebras offundit. ueniant uobis in mentem patres cō-  
scripti quāta odia illa Græcorum, quanta Romanorū, quan-  
ta etiam hæc ista recentia Hungarorū fuerunt. quibus odijs  
potentissimæ nationes, ac florentissima imperia corruerunt.  
Senatorum (mihī credite) culpa illa fuit. dum enim se quisq;  
in rep. ostentat, dum potentiā suam iactat, dum operā uen-  
ditat, postremo dum se magnum uult uideri, calamitate cō-  
muni, & senatus, & plebs una perit. Ne hoc sinat Deus Opt.  
Max. in cuius cura sumus, ut hoc inclutum regnum, hic inui-  
ctus populus uestras discordias publico luat interitu. Quare  
uincite per Deos immortales animos patres conscripti, ac il-  
los retinete in officio. plus apud uos ualeat malum publicū,  
odio priuato uestro. date hoc reip. patres conscripti, date no-  
bis, date salutē communi, date uobis ipsis, coniugibus, libe-  
risq; uestris. quorum supplicio, ac interitu expiabuntur mihī

credite discordiæ uestræ, nisi prouideris, reſſcite controuerſias priuatarum rerum, ſit reſp. ſeges, & materia ueſtræ gloria. hanc exercete per deos immortales patres conſcripti, quæ multis circumſcripta hoſtibus, ac magnis undiq; cincta periculis, uobis ſupplices manus tendit, uos orat, atq; obreſtatur, ut reconciliatis ueſtris animis, ſaluam, atq; incolumẽ, illam uelitis eſſe, & certe talem, qualis Sigifmundo rege fuit. hoc res ipſa publica, hoc etiam Sigifmundus a uobis ipſe poſtulat. qui hunc filium ſuum chariſſimum, atq; optimum reſpectans uos ex alto intuetur, a uobiſq; petit, per Deũ ipſum quem caſte, religioſeq; in Polonia coluit; per rempub. quam ampliſſimam uobis reliquit; per ſalutem ueſtram, quæ illi uita propria charior uiuenti fuit; ut cum hoc Auguſto rege; ſilio autem ſuo coniuncti inter uos fideliffima gratia, & religionẽ Dei Opt. Max. & dignitatem reip. & ſalutem omnium cõſeruetis. Non eſt; nõ eſt tergiterſandi locus: monent omnia, urgent omnia, atq; inſtant. Quãtum tandem huius morte hoſtium animos creuiſſe putatis? num Moſchouia? num Scythiam? num Turciam? atq; Valachiam, parum huius morte ſperare cõpiſſe exiſtimatis? occaſionem mihi credite huius morte, ad occupãdam Poloniam ſibi oblatam eſſe nationes illæ arbitrãtur: quæ quidem omnes nullis uobiſcum, neq; legibus, neq; certo pacis iure ſunt coniunctæ. In concordia ergo ueſtra, ac in mutua beneuolentia ſpes omniſ ſita eſt ſalutis communis, atq; huius reipub. retinendæ. Quæ nunc morte regis ſui exanimata, ac prope cõuulſa ſedibus ſuis ad complectendum conſeruatore ſuum gemens, ac mœſta uenit, illi gratias agit mortuo, tibiq; in primis ſumme Deus. qui hunc hominem ad genus humanum conſeruandum, & ad hoc regnum conſtituendum in terras miſeris. cuius beneficio ad hanc diem ſtant res noſtræ, ac cuius opera hoc regnum florer ingenijs, ualet opibus, pace, ac ocio fruitur, ac legibus optimis uiuit. huius poſtremo monumenta multa, ac præclara æternitate ipſa conſecrata aſſidue intuetur. Tibi nos Sigifmunde hæc omnia debemus, tibi hæc accepta ferimus, tua munera ſunt iſta, tua ſumma beneficia. per te nos

illuſtrati ſumus, per te exteris gentibus cogniti, te autore, atq;  
duce Polonum uenerabantur nomen omnes gentes Græcæ,  
Latina, ac barbara. tuis uictorijs hoſtes noſtri debilitaban-  
tur, tuo foedere, ac ſocietate amici noſtri lætabantur. tu iudex  
regum, tu pacificator gentium, tu moderator nationum, ac  
conſeruator omnium fuiſti. tu hanc remp. affinitatibus pri-  
mo, deinde coniugijs cum exteris nationibus coniunxiſti.  
tu autor legum noſtrarum, tu magiſter morum, ac diſcipli-  
næ fuiſti. hem noſtra lux, noſtrum deſyderium Sigifmunde  
iacas, ad quem nũc confugiemus, a quo opem petemus, quẽ  
hoſtibus noſtris opponemus, qua pace, quo bello, quo foede-  
re nitentur: O acerbã mihi Equites memoriã harum re-  
rum omnium: o flebiles exequias, o uitam inſœlicem, quæ  
orbata. es hoc iſto rege, atq; patre. tibi enim morte huius or-  
namenta ſunt detracta, tibi præſidia adempta, tibi ſolatia  
ſublata. ſolus hic reſtat tibi dolor, mœror, ac gemitus. In quo  
tamen ipſo luctu, ac mœrore noſtro, Sigifmunde Auguſte  
rex ad te uenimus, tibi nos penitus tradimus, tu ſpes noſtras,  
patris tui morte fractas, reſtituas: tu ſalutem conſerues, tu li-  
bertatem noſtram legibus, atq; armis defendas. Vos etiam  
Equites, atque uos patres conſcripti, memoriã regis ueſtri  
pie, inuolateq; ſeruabitis. plura ne dicam, tuæ me Auguſte  
lachrymæ impediunt, ueſtræq; Equites, non ſolũ mea, qui-  
bus mouemur, ut a Deo precemur, quo Deus huic mortuo  
propitijs, nobis uero benignus uelit eſſe.

D I X I.



AD SIGISMVNDVM POLONIAE  
REGE M ATQVE EIVSDEM  
NOMINIS FILIVM

INCERT. AVTH.

[Paulus Rhamnusius]

(Alcops. 6563)

BY III

a. 394-

396)

**Q**Uæ nam te fata? aut quis te Sismunde deorum  
Eripuit nobis? quis funere mersit acerbo?  
Ut qui unus poteras animo maturus, & ævo,  
Sauromatas domuisse truces, pictosq; Gelonos  
Imperio frenare, tui tam triste relinquas  
Excedens desiderium: ut tua funera tristis  
Bellipotens Geticas Mauors qui temperat oras,  
Spectet, & Arcteos iam propulsare furores  
Te sine uix possit: tantum tua uiuida bello  
Dextera, tantum animi potuere ad prælia facti  
Atq; ad pacis opus: quam pugna quærere & armis  
Consuesti, & longe insidias, longe hostica castra  
Pellere, nil metuens pulchram per uulnera mortem.  
Quum modo te armatum gelidi timuere Triones,  
Aut modo deuictæ spolijs te gentis onustum  
Accepit patria, & templis indixit honores  
Insolitos, uirtute sui lætissima regis.  
Iure ergo parta populos in pace regebas,  
Temporaq; emeritæ degebas læta senectæ:  
Nunc uetus imperium nato, proauitaq; regnæ  
Astra petens seruata manu & pacata relinquis.

Quare age cura Deū, & Sismundi certa parentis  
Effigies Sismunde tui, atq; ut nominis hæres,  
Sic regni, imperium serua quod suscipis: & te  
Aequalem uirtute patri, atque insignibus armis  
Ostende, ac Scythicos iam num meditare triumphos.  
Interea Mauors primis tibi cultus ab annis  
Viderit ut, lege ac bello te regna tueri,  
Tecum aderit felix, tecum tua bella reuifet.  
Tum pater è coelo lætabitur, & Bona mater,  
Se genuisse uirum, tantæ qui pondera molis  
Ferre queat: reuocetq; antiqua secula uitæ  
Non pietate minor, quam bello & fortibus armis.

AD SERENISSIMAM BONAM  
POLONIAE REGINAM

INCERT. AVTH.

29  
[Paulus Rhamnusius]


(Rhaps B.)

6563 III

s. 394-396

**O** Magni regina parens dignissima regis,  
Et magni quondam regis fidiſſima coniux,  
Cui bello clare gentes, tot regna, tot urbes  
Arma ferunt, ſpirat Boreas quacunq; ſerenus,  
Et ſibi uicinas qua terras deſpicit Arctos:  
Quid iuuat abſumpti lugentem fata mariti  
Crudeleisq; deos, crudeliaq; aſtra uocare?  
Et caſta inſano corrumpere lumina fletu?  
Qualis Itym in denſis cum deſlet Daulias umbris  
Mater, & antiquas repetit memor ore querelas.  
Siſte oro lachrymas, & inanes deſine luſtus,  
Se fleri uetat ille, ingens tua cura maritus,  
Neſcius ille mori, uiuusq; per ora uirorum  
Perq; animos uolat, & ſolenni laude uireſcit:  
Et iam iam meritas coeli ſubuectus in arces,  
Sub pedibus letus nubes & ſidera cernit.  
Tum curæ regina tuæ communia mandat  
Pignora, ut imperium miti modereris habena  
Concordi cum prole fide, ueſtriq; ſenatus  
Conſilio, & pacis ſtudijs, horrentia longe  
Arma fuges: tum ſi impendere uidebitur hoſtis,  
Ne belli terrere minis, hoc ſoſpite nato:

30  
Qui tibi non expertis crescit uirtutis auicæ,  
Sismundo nec patre minor, sed fortibus armis,  
Et gentis claræ auspicijs felicibus, olim  
Tristibus obsistet bellis, Scythicoq; tumultus  
Comprimet: ac fixis deuicto ex hoste trophæis,  
Barbaricis diues spolijs exercitus omnis,  
Augustos leta celebrabit uoce triumphos.  
Nec te Sarmaticæ tantum celer incola terre  
Fronde sacra, & uernis ornabit Vistula fertis:  
Sed tanti matrem regis uenerabitur Albis,  
Atq; ingens Ister, gelidiq; Borysthenis unda:  
Quiq; altus longo tractu per plana uolutus  
Mille trahit secum uaga flumina ceruleus Rha,  
Cumq; furens, tumidusq; diu rapido agmine aquarum  
Processit, centum rursus disiectus in alueos,  
Hircanum placidus liquido pede fertur in æquor,  
Blandior assurget cornu iam uester utroq;




92  
C  
Quis enim non ex parte sua vivit, ut  
Deum de suo patre minor, sed fortibus  
Et quod est de re ipsa, sed deus, omni  
Tribuit, et sic est, sed deus, et sic est  
Commutat, et sic est, et sic est, et sic est  
Barbaricus deus, sed deus, et sic est  
Augustus, et sic est, et sic est, et sic est  
Nec de Germania, et sic est, et sic est, et sic est  
Fronde sacra, et sic est, et sic est, et sic est  
Sed tanti matrem regis, et sic est, et sic est, et sic est  
Atq; ingens, et sic est, et sic est, et sic est  
Quis, alius, et sic est, et sic est, et sic est  
Mille, et sic est, et sic est, et sic est  
Cum, et sic est, et sic est, et sic est  
Processu, et sic est, et sic est, et sic est  
Aurum, et sic est, et sic est, et sic est  
Barbarus, et sic est, et sic est, et sic est

BIBLIOTH. UNIV.



JAGELLONICAE





Biblioteka Jagiellońska.